

IX Ba 47


53.

~~IX Ba 47~~

~~XXVIII. 9. or~~

EX
BIBLIOTHECA
SAMUELIS STRYKII, JC.
A. M DC XCVI.







QUINTA
SACR. INSTITUTIONUM
EXERCITATIO
DE
SERVITUTIBUS
USUCAPIONIBUS ET
DONATIONIBUS.

Q V A M

DIVINA ANNUENTE GRATIA

PRÆSIDE

NOBILISSIMO AMPLISSIMO ATQVE
CONSULTISSIMO VIRO

Dn. GEORGIO ENGELBRECHTO

J. U. D. ac Digest. in Acad. Julia Profefs.
Publ. Ordin.

Fautore, Patrono Præceptore ac Hospite
æternum devenerando

Publico eruditorum disquisitioni submittet

IN JVLEO MAJORI

Die Septemb. Anni MDCC LXXXI.

GEORG DIDERICH HALBPAPPE
Hildesienfis.

— (o) —

HELMESTADII,

Typis Hæredum HENRICI DAVIDIS MÜLLERI Acad. Typ.

QUINTA
SACR. INSTITUTIONUM
EXERCITATIO

DE
SERVITIIS
USUCAPIONIBUS ET
DONATIONIBUS

Q. N. M.
DIVINA ANNUENTE GRATIA

FRANCO
MAGISTRO C. M. V. O. C. T. O. R. E
CONV. T. M. V. O. N. O.

Dr. GEORGIO FRIEDRICH BRUCHTO
J. U. D. ac Digest. in Acad. Julia Profets.

Publ. Ordin.
Fautor, Patrono Praeceptor ac Hospite
eternum deventando

Publico examinatorum disputationi submittit
IN URBE MAGORI

Die
septemb. Anno cis 1733. XXI.

GEORG DIDERICH HARPER
Hildesensis.

HERMESTADIA

Typis Hildesib. Haezelii Davids Milleri Acad. Typ.





ΣΥΝ ΘΕΩ

THESIS I.



DE primâ speciè juris nimirum, *dominio* in antecedenti dissertatione actum fuit, accedemus itaque, ordinem Institutionum secuti, ad secundam juris in re speciem, *servitutem* scil. Eaque est vel *personarum* vel *rerum*. Aut enim persona servit, & illa servitus *personarum* dicitur, quo pertinet societas herilis inter dominum & servum sive mancipium intercedens vid. *tit. 3. & aliquot seqq. lib. I. Instit.* Aut res, & illa rerum servitus appellatur, quæ huc tantum pertinet.

Tit. 3. l. 2. Instit.

Connexio materiae.

II.

Utraque servitus tam personarum quam rerum aliquam inter se habet similitudinem. Homo enim constat ex duobus, corpore & anima. In anima iterum duo consideranda sunt, intellectus & appetitus rationis particeps. Intellectus est pars animæ ipso appetitu excellentior, adeoque ipsi jure ac merito imperium in appetitum debetur, ita, ut quæ intellectus bona deprehendat, ab appetitu sequenda; Quæ mala, fugienda sint. Et hoc est quasi imperium naturale, quod Deus in ipsos homines naturæ quasi instinctu introduxit. Is igitur, cujus appetitus proprio intellectui obtemperat, dicitur esse homo liber. Accidit

Similitudo inter servitutes.

Imperium naturale quid.



vero interdum, & olim sæpius fiebat, ut aliquis perfectam jam tum ætatem consecutus, alieno intellectui, quamdiu domino luberet, obedire teneretur, & quidem in solius domini utilitatem, & ille dicebatur servire. Quod autem in corpore est intellectus, hoc paterfamilias in rebus ac bonis suis: Ea enim ad proprium usum dirigere potest, ita ut quemlibet alium ab eorum usu jure prohibeat: Quicquid enim sunt, solius patrisfamilias ac domini gratia sunt. Nonnunquam tamen dominus ac paterfamilias alteri facultatem concedit, eas res ex parte, tanquam esset dominus in suum usum dirigendi, quia vero per ejusmodi concessionem aliquid nostrarum rerum libertati decedit, ita ut non amplius incipiant existere solum nostri gratia, sed ex parte etiam propter alium, cujus commoditati ex concessione domini inserviunt, illæ res dicuntur servire, inque eo fundamentum servitutis rerum videtur consistere.

Quo modo res servantur.

Servitus rerum quid, Servitus est Jus.

In servitute sunt duæ personæ.

III.
Servitus rerum inde describitur quod sit *jus in re aliena ad serviendum constitutum*. Primo dicitur *Jus*, quia servitus est res in corporalis. Denotatur autem per vocabulum *Jus*, facultas s. potestas, & est vox generis, inque pluribus aliis negotiis, eandem significationem habet. Ita tutela est jus & potestas tuendi personam, quæ seipsum regere nequit. *S. Est autem I. de tutelis*. Ita hæreditas est jus succedendi in universum defuncti patrimonium *l. nihil est 24. ff. de V. S. l. hæreditas 62. ff. de R. J.* Ita etiam actio est jus persequendi in judicio quod sibi debetur *Prin. Instit. de Act.* Ubi porro notandum, quod duæ personæ in servitute concurrant.

currant, altera eam concedens, altera, cui ea conceditur. Respectu igitur hujus posterioris, & acquirentis personæ est quoddam jus, Germanicè *eine Gerechtigkeitt* Non vero respectu personæ concedentis, nam illa potius jure quodam privatur, & sic illius respectu dicenda est juris privatio, adeoque ex parte servientis servitus appellatur *eine Dienstbarkeit* Jul. Pac. *ad tit. de Rebus corporal. & incorp.* Dicitur secundo Jus *in re* ad differentiam *juris ad rem*, nam servitus est species juris in re ipsam rem, unde ea debetur, ita efficiens, ut illa res cum onere servitutis, in quemlibet possessorem transeat. Dicitur tertio *In re aliena*. In quo servitus differt à dominio: Nam dominus etiam jus in re habet, sed in re propria, is, qui servitutem habet in re aliena. Dominus enim utitur re sua jure domini cui servitus est constituta, jure servitutis: Res enim sua, jure servitutis nemini servit. *l. 5. in principio ff. si ususfruct. petat. l. in re communi. ff. de servit. urb. præd. Wesenb. n. 4. ff. de usufr. Idem l. 12. ff. de servit.* Dicitur demum quarto *ad serviendum* constitutum. Hoc est ad commodum & utilitatem non domino sed tertio præstandam. Servitus enim non ad utilitatem domini, sed ejus, cui debetur, pertinere debet. *Wesenbec. in parat. n. 3. ff. de servit.*

Servitus est
jus in re.

Servitus
datur in
re aliena.

Servitus
est ad ser-
viendum.

IV.

Servitus rerum dividitur in personalem & realem: Omnis enim servitus ad commodum & utilitatem alterius constituitur. Aut itaque commodum & utilitatem immediatè præstat personæ, eiq; debetur, aut rei: Prior personalis: Posterior realis appellatur. Accedit, quod prior etiam sicuti reliqua

Rerum ser-
vutis di-
visio.

A 3,

perfo-

personalia, personam non egrediatur §. 6. *Instit. de Jur. nat. gent. & civil. l. 7. §. si petenti ff. de Public. in re Act. l. 3. §. 1. in fin. ff. de R. J.* Et cum personam inter moriatur. *per eleg. text. in l. non solum 8. tale 3. ff. de liber leg.* Ita quoque servitus personalis morte extinguatur, & ad heredem non transeat. §. ult. *Instit. de usufructul. sicut 3. §. final. ff. quibus modis usufruct. amitt.* Contra sicuti reliqua realia rem comitantur & afficiunt, & quemvis possessorem sequuntur *argum. dict. textuum l. si debitor rerum 12. C. de distract. pignorum Wesenb. num. 3. ff. de aliment. legat.* Et, rebus ita inhaerent, ut etiam persona sublata, non tamen extinguantur, aut tollantur. *Mynsing. ad Instit. de rebus corp. & Incorp. num. 5.* Ita onus servitutis realis, ad quemcunque res serviens pervenit, eam semper comitatur. Vocatur alias etiam servitus *praedialis* quia immediate ad utilitatem praediorum constituitur. *Wesenb. n. 4. ff. de servit. & praediis in haeret. Idem n. 3. ibid. infine.* Mediate & per consequentiam haec utilitas etiam in dominum praedii dominantis redundat.

V.

Prius autem Imperator de praedialibus atque realibus quam personalibus agit servitutibus, forsan ob hanc rationem, quia realis, duratione, ut ita loquar potiores sunt: Personales enim durant tantum ad vitam illius, cui sunt concessae, praediales autem natura sua perpetuae sunt, & continuam causam habent, *per l. foramen. 28. de servit. urb. praed.* Quamvis alio respectu personales dicantur potiores, respectu personarum quibus debentur, cum persona rebus sit dignior. §. ult. *supra de Jur. Nat. Gent. & Civil.* Et haec est causa forsan,

forfan, quare in ff. prius de personalibus quam realibus compilatores egerint.

VI.

Realis autem sive prædialis servitus describitur, *quod sit jus in prædio alieno constitutum, ad vicini prædii utilitatem.* Per vocâbulum *Jus* intelligitur facultas & potestas, uti supra in descriptione servitutis prolixius explicatum & respectu ejus prædii, cui servitus debetur est jus, respectu vero prædii servientis & quod servitutum debet est potius privatio juris; Dominus enim prædii servientis tenetur aliquid pati vel non facere in suo *l. 15. §. 1. ff. de servit.* Et hoc est de natura omnium servitutum prædialium. Inde dividuntur in affirmativas & negativas. Priores sunt quando dominus tenetur aliquid pati in suo ut iter, actus, via, stillicidium & similes servitutes. Nam dominus prædii servientis tenetur pati, ut tertius eat per suum fundum, agat jumentum, vehat, ut ex vicini tecto stillæ cadant in suam aream. Posteriores quando dominus prædii servientis tenetur aliquid non facere in suo; uti est servitus altius non tollendi, stillicidii & fluminis non recipiendi: Nam non potest contra naturalem libertatem, ædes suas altius tollere, nec flumen vel stillas ex suo tecto decedentes, in suum usum recipere.

Servitus prædialis quid.

Servitutis prædialis divisio.

VII.

Dicitur porro *in prædio alieno ad prædii utilitatem.* Ex quibus verbis colligitur, quemadmodum in servitute personarum, quæ à persona personæ debetur, de qua *in lib. 1. tit. de Jure pers. & ff. de statu hominum*, agitur, necessum est, diversos esse dominum & servum, quo.

In hac ser-
vitate duo
sunt præ-
dia.

quo constet relatio, (Nam relatio non potest esse, nisi inter duo) sic in servitute reali & prædiali duo debent esse prædia unum *dominans*, cui servitus debetur, & alterum *serviens* cui imponitur sive quod patitur vel debet servitutum. §. 3. *Instit. de servit. Rust. & Urb. prædio. l. 1. §. 1. l. 6. imit. ff. communia prædio. Wesenb. ad rubr. de servit. rust. urban. præd. n. 2. & ibi Mynsing. Sebneid. n. 5.* Et hæc est differentia inter servitutum personalem & realem: Illa, uti ususfructus & usus unum prædium; hæc duo requirit. Sufficit autem, si prædia sint futura, cum futuro quoque ædificio, quod nondum actu existit *in spe* vel imponi vel acquiri servitus possit *l. 23. §. 1. ff. de ser. P. U. Brunn. ibid. num. 6. & 7.* Additur deinde ad vicini prædii; quia utrumque prædium vicinum esse oportet. *l. 5. §. 1. de servit. P. R. l. 38. l. 39. ff. de servit. P. V.* Quod tamen non ita crasse intelligendum, quasi unum prædium immediate alterum tangere debeat, & sic utrumque esse contiguum, nam intermedium aliquod intercedere potest, modo usum servitutis non impediatur *l. 7. §. ult. l. ult. ff. de servit. præd. rust. l. 1. ff. de servit. præd. urb. l. 6. junctal 7. ff. Comm. præd.* Demum adjiciuntur verba: *ad vicini prædii*, non personæ, *utilitatem.* In hisce indicatur nova inter servitutum realem & personalem intercedens differentia. Hæc enim ad utilitatem personæ, illa ad prædii commodum constituitur inde rectè Ictus Paulus in *l. 8. ff. de servit. ut poma decerpere liceat, ut spatiari, ut cœnare in alieno possimus*, servitus, nimirum *realis*, imponi non potest. Nam hæc tria personarum commoditati inserviunt. Servitus autem prædialis continuo

Differentia
inter ser-
vitutem re-
alem & per-
sonalem.

tinuo utilitatem præstare debet prædio dominanti, hoc est non actu quidem sed potentia, si nimirum dominus prædii dominantis eâ opus habet & in utilitatem sui prædii uti velit. Nam per rerum naturam fieri nequit ut omni momento ac tempore servitutibus nonnullis utamur v.g. jure eundi, agendi, viæ, & tales sunt pleræque servitutes. Quando igitur *in l. 28. ff. de serv. præd. urb. dicitur*. quod servitutes prædiorum *perpetuas causas* habere debeant, hoc non incommodè explicari potest, quæ perpetuo utilitatem afferunt licet non actu tamen potentia. Alii aliter hæc verba exponunt. Demum sub vocabulo utilitatis, etiam amœnitatem possumus complecti, ut ejus quoque gratia servitus imponi possit, quo spectat *servitus prospiciendi*. Nam & hæc prædium facere potest melius & pretiosius. *arg l. hoc jure 3. in it. in verb. amœnitatis 5. ff. de aq. quot. & esti v. Brunnem. ad l. 19. n. 4. de serv.*

IIX.

Servitutes reales dividuntur in *Rusticas & Urbanas*, quia prædia, quibus debentur, & quæ dominantur alia urbana, alia rustica vocantur. Urbana in hac materia servitutum dicuntur, ædificia habitandi, commerciorum, & pensionis recipiendæ causâ comparata, non solum in oppidis & urbibus sed etiam in villis & vicis. *S. 1. Instit. de serv. P. R. & V. l. 21. ff. commun. præd.* ut etiam huc referant stabula & meritoria ad peregrinantium & aurigarum equos recipiendos extracta, quin & prætoria voluptati tantum inservientia, *die Guchhäuser. l. 198. ff. de V. S.* Cum non locus, sed materia, ad quam prædium destinatum, hoc est com-

B

moditas

Divisio servitutum realium



moditas & usus prædia distinguat. *d. l. 198. ff. de V.S. jung. l. 166. ff. eod.* Rustica sunt, quæ ob culturam agrorum, fructuum, & pecorum gratia quocunque loco h. e. sive in urbibus sive in vicis construuntur, uti agri, horti, villa fructuaria, tugurium *l. si prædium 16. C. de præd. minor. l. 211. l. 180. init. & S. 1. ff. de V.S.*

IX.

Quænam
sint servi-
tutes ru-
sticæ.

Servitus
iteris.

Quæcunque igitur servitutes debentur prædiis rusticis hoc est agris, vel ædificiis excolendorum, agrorum, fructuum colligendorum & pecorum, alendorum gratia extractis, sive in urbibus, sive ruri, illæ sunt rusticæ. Quale primum jus & servitus est, *iter* Oldendorpius *class. 3. art. 3.* nostro idiomate vocat eine *Berechtigkeit zu gehen durch ein Feld oder Acker. Schneide- winus Ein Fußsteig, darüber man pflegt zu gehen oder zu reiten. Mynsingerus. Ein Fußpfad.* Et est, jus eundi, ambulandi hominis per vicinum prædium ad nostrum ipsius prædii causâ, non etiam jumentum agendi vel vehiculum. *l. 1. ff. de Servit. P. R.* Et tum locum habet, quando absq; hujus servitutis concessione, magno opus est circuitu, cum in prædium meum ire velim. Dictum est primo esse *jus eundi*, quod intelligendum est, non tantum pedibus, sed etiam equo, sellâ, aut lecticâ. Ire enim vel iter facere non solum ille dicitur, qui pedibus it vel progreditur, sed etiam qui sellâ, lecticâ, aut equo incedit. *l. qui sella 7. l. inter actum. 12. ff. de serv. R. P.* Qui enim alteri iter concedit, in effectu concedit ipsi bipedale spatium, per quod incedere possit, atque sive pedes, sive eques incedat, sive sellâ, sive lecticâ portetur, non majus spatium insumit. Dicitur secundo *ambulandi* hoc nonnulli expli-

explicant, ut non tantum ire, verum etiam redire liceat Wesenb. *h. n. 3.* alii verbum ambulandi interpretantur, quod fit sanitatis & voluptatis causâ, nam qui jus eundi habet principaliter, is jus ambulandi videtur habere in consequentiam. Harprecht *h. n. 31.* Dicitur tertio *hominis* ad distinctionem actus & viæ. Iter est hominum, actus jumentorum, via vehiculorum: eunt homines; aguntur jumenta, vehunt, vel vehuntur vehicula. Dicitur quarto, *ipsius prædii causâ.* Nam si soli homini & personæ concederetur, nec fieret respectu & occasione fundi & prædii nostri, esset servitus personalis. Demum additur, *non etiam jumentum agendi vel vehiculum.* Nam tum esset servitus actus vel viæ, inde etiam ne equum quidem manu ad dextram vel lævam per iter ducere licet, nam spatium itineris ampliaret. *l. qui sella 7. ubi Gothofred. ff. de serv. R. P.* Aliud est, si quis lectica, in der *Senften* vehatur vel gestetur. Ipsa enim lectica terram non contingit, & duo equi sibi succedentes & se invicem subsequentes, non ampliorem locum occupant, quam si quis uno equo incederet.

X.

Secundum jus & servitus rustica est *actus* & describitur, quod sit *jus agendi jumentum vel vehiculum* per fundum alienum. Oldendorpius & Spigelius vocant, ein *Fahruug* durch ein liegend Gut Mynsingerus, ein *Besuchung* / oder *trieb*. Perneder. Ein *Trib* darauff einer *gehen* / *reiten* / *fahren* / auch *sein Vieh treiben* mag. Ratio, cur disjunctivè dicatur jumentum *vel* vehiculum, est ista, quia actus potest tam angustus constitui, ut solum jumentum agere, non vero vehiculum ducere

Quid sit
servitus
actus.

B 2

re li-



re reliceat. *l. si tam. 13. ff. de ser. v.* Et sic jus agendi vehiculum non semper & essentialiter inest servituti actus. In dubio autem actu concessio, concessum id videtur, ut & plaustrum ducere possimus. *l. qui sella. 7. ff. de ser. vit. præd. Rust. Iul. Pac. h.* Ex hoc infert Imperator, quod is, qui habet iter, actum non habeat: sed, qui actum habet, & iter habeat. Quia plus continet in se minus sed non vice versâ: sive in minori non est majus, sed è contrario in majori minus. Wesenbec. *h. n. 3. & in parat. n. 1. ff. de ser. v. rustic. præd.* Qui ergo actum habet, is facultatem habet etiam eundi & ambulandi sine jumento. *text. h.* Nam cui licet, quod est plus, licet utiq; quod est minus. *cap. cui licet. de Reg. jur. in 6to.* Atqui actus plus in se continet, quam iter, & plus est ire cum jumento & vehiculo, quam sine jumento & vehiculo: plus est currum ducere, & jumentum agere, quam tantum ire & ambulare. Ergo qui actum habet, etiam iter habet, quod uno concessio, omne illud concessum videtur, sine quo alterum expediri non potest. *l. 2. ff. de jurisd.* Atque jumentum agi, hoc est, ante se propelli & abigi non potest, nisi insequatur homo & ambulet. Anton. Perez. *h.* Unde Paulus J.C. in *l. 1. ff. de adim. legat.* dicit. Quod nunquam actus sine itinere esse possit. Wesenbec. *h.* Porro & hoc de servitute actus notandum quod in ea sub vocabulo jumenti & armentorum minora etiam pecora comprehendantur. *princ. h. l. 1. §. actus ff. de ser. vit. præd. Rust. l. tamen 12. ff. eod.* ita ut servitutem actus habenti, non tantum majora verum etiam minora pecora, das th. in Viehe ad pascua agere liceat. Ne cui, quod plus est, liceat, ei, quod minus est, non liceat, contra *l. non debet. 21. ff. de Reg. jur.* Et dum

dum ab agendo actus dictus sit *l. 1. ff. de serv. rustic. præd.* quis pecora, non minus agi, quam jumenta inficias ibit? Carpzov. *part. 2. decis. 107. n. 12.* Johann. Philipp. *libr. 2. Eclog. 22.*

XI.

Tertia servitus Rustica est *Via*. Describitur, quod ^{Quid sit via.} sit *jus eundi, & agendi & ambulandi hominis*, per fundum alienum ad nostri prædii utilitatem. Nam & iter & actum via in se continet. Oldendorpius vocat, eine *gemeine Heerstrasse/ eine offene Strasse* solet etiam vocari, *Sahrweg*. Forfan inde ita dicitur, quia in viâ tantum spatium quis habere debet sursum & ad latus, ut, si necesse esset, integrum exercitum, ein *ganz Kriegsheer* ducere liceret. Quod si debetur ad domum alterius, sive prædium urbanum, dicitur urbana servitus. Schneidewin. *h. n. 8.* Nam ut cognoscatur, an servitus aliqua sit urbana vel rustica, inspicitur qualitas prædii dominantis sive cui servitus debetur, non ejus, quod servitutum debet, quia denominatio fit à potiori: dominans autem prædium potius & dignius est quàm serviens. Differt ab actu (1) quod ^{Differentia actus & via.} viæ semper in sit jus ducendi vehiculum. Actui vero non item. uti *in preced. thes. demon stratum.* (2) qui viam habet, potest trahere & raptare tignum aut lapidem. *l. qui sella 7. ff. de serv. præd. Rust.* aut fasces lignorum, quod interdum ratione sæpium extruendarum necessarium est. Vnde Perneder ita hoc Germaniè profert: *Wer ein Subre straß hat/ der mag nicht alleine gehen/ reiten/ treiben/ oder fahren/ sondern Baum und Stein darüber führen und sch'eiffen.* Hoc vero non licet ei, qui actum habet. (3) His addit Paulus *Jctus in d. l. 7.* quod is, qui iter



& actum habet, non possit rectam hastam ferre, quia neque eundi, neque agendi gratia id faceret, & possent eo modo fructus superpendentium arborum laedi. Is autem, qui viam habet, & trahendi & rectam hastam ferendi jus habet, eine lange Stange auffrecht zu tragen. Cum hoc tamen moderamine, ut hasta erecta gestetur, non ad latus moveatur, ne fructus laedantur. *d. l. 7. in fin. princ. (4)* differunt latitudine. Nam iter, actus & via discriminantur quoad latitudinem. *arg. l. via. 23. in pr. ff. de servit. rust. praed.* Itineris quidem & actus latitudo non est lege definita sed ab ipsis partibus, vel si nihil inter ipsas convenit, ab arbitris definienda *l. certo. 13. §. latitud. ff. de serv. praed. Rustic.* quanta homini aut jumento eunti satis est. Anton. Perez. *b.* Et cum plurimum iter *ad duos pedes* actus *ad quatuor* in porrectum; *ad octo* vero in anfractum, hoc est, ubi flexum habet, extenditur. Wesenb. *n-1. ff. de servit. praed. rustic.* Viae autem latitudo ab ipsa lege *12. tabularum* definita est. *d. l. 13. §. in via.* ita ut via in porrectum haberet octo, in anfractum vero, id est, ubi flexum & sinuosum est, sedecim pedes *l. via. 8. ff. d. tit.* idque propter vehiculorum vertendorum facilitatem. Nisi forsan alia latitudo dominis praediorum placuerit, ea servanda erit. *l. via. 23. in pr. de serv. rust. praed.* quia contractus ex conventionem legem accipiunt.

Latitudo
itineris.
Actus.

Via.

Quid sit
aquae ductus.

XII.
Quarta servitus rustica, cujus hic fit mentio, est *aquae ductus*. de scribitur, quod sit *jus aquae ducendae perfundum alienum*, ex fonte alterius vel perenni flumine ad nostri fundi commoditatem. Vulgo dicitur.

Eine

Eine Wasserleitung. Et tum potest ei locus esse, quando vicinus habet fundum aquis abundantem; ego vero fundum aquis indigentem & quasi sitientem. Rogo vicinum meum, ut mihi ex suo fonte & per suum fundum liceat aquam ducere in meum fundum, si locum dat petitioni meæ & facultatem ducendæ aquæ concedit, oritur inde hæc servitus *Aquæ ductus*. Dicitur *servitus*, quia nemini jure communi quicquam in alieno facere aut aquam per fundum alienum invito domino ducere licet. *l. 2. l. per agrum. II. C. de servit. & aq.* adeo, ut si faciat, dominus propriâ autoritate fistulas inercidere & removeere possit: *l. quemadmodum: 29. §. 1 ff. ad L. Aquil. Mynsing. h. n. 13. Schneid. n. 24. secundo Rustica.* quia plerumque pro irrigandis agris & pratis, adeoque prædiis rusticis conceditur. Quod si amænitatis causa permittitur, ut *in l. 3. in pr. ff. de aqu. quot. & æstiv. & in l. Lucius. 37. ff. de servit. Rust.* tunc non est prædii sed hominis jus, id est non servitus prædialis, sed personalis. *l. pen. ff. de servit. l. 1. §. & datur 3. ff. de aq. quot. & æstiv.* Nunc ad ipsa descriptionis verba explicanda progrediendum. Dicitur primo, jus, tum quod incorporalis res est. *juxt. titul. præced.* tum quod omnis servitus non in facto, sed in jure consistat. *l. 1. ff. de servit. urb. præd. l. 2 ff. quemadm. serv. amitt.* Secundo vocatur *jus aquæ ductæ.* ad distinctionem aquæ ductus. In hac enim servitute aqua non aliter hauriri potest ex puteo quam hominis opera & ministerio accedente, quia vero hoc continuo fieri nequit inde servitus aquæ haustus est quasi dies continua. Verum in aquæ ductu, ex quo quis semel aquam per canalem vel fistulas

las, vel per aliud instrumentum, aut fossam ducere
 cœpit, ea postea sine ministerio hominis continuo
 fluit, & sic est servitus continua. vid. *l. 1. §. quanquam
 de aqua quot. §. æstiv.* Wesenb. *d. n. 5.* dicitur tertio
perfundum, quia sine fundo sive prædio serviente, præ-
 dialis servitus constitui nequit. *§. 3. b. l. 1. §. 1. ff.
 Commun. Præd.* additur quarto *alienum*: nam aquæ
 ductus in proprio fundo non est servitus, cum res sua
 nemini seruiat. Harpr. *n. 72.* Adjicitur quinto *ex al-
 terius fonte* quia ex fonte & flumine publico etiam
 sine servitute aquam ducere licet. *l. 2. §. 3. C. de flum.
 l. Imperator. 17. ff. de seruit. rust. præd. l. 1. §. permittitur.
 41. ff. de aq. quot. §. æstiv.* nisi flumen sit navigabile,
 vel aliud navigabile reddat, tum enim non nisi consensu
 Superioris aquam ducere permittitur. *l. 2. C. de flum.* ne
 iter navigii & usus navigandi difficilior, minor, aut ma-
 jor fiat, aut in totum auferatur. *l. 1. in pr. §. navigii ff. de
 flum.* quod fieri non debet, nam publica semper privatis
 potiora esse debent. Dicitur ultimo *ad nostri fundi com-
 moditatem*, quia omnis servitus prædialis non tantum
 prædium serviens, sed etiam dominans requirit, in cu-
 jus commodum & utilitatem servitus constituitur. *arg.
 l. ergo §. in fin. ff. de seruit. præd. rust.*

XIII.

§. I.
 Quænam
 sint servi-
 tutes Vr-
 banæ.

Quæcunque servitutes inhærent ædificiis habi-
 tationis, commerciorum, vel pensionis percipiendæ
 gratiâ extructis, sive in urbe sint, sive non & in villâ, illæ
 servitutes sunt urbanæ. *§. 1. h. l. 1. ff. Commun. præd. l. 198.
 l. 166. ff. de Verb. signif.* quia urbana prædia non locus,
 sed materia & habitandi commoditas facit. Et ad
 hæc servitutes pertinet divisio supra thesi vi. allata,
 quod



quod aliæ sint affirmativæ, aliæ negativæ, illæ, quibus dominus prædii servientis tenetur aliquid pati: Hæ in quibus aliquid non facere est obstrictus Prima igitur servitus urbana affirmativa est, *oneris ferendi*, sive, *ut vicinus onera vicini sustineat*. Die Bürde oder Lasttragung des Sebeues inque eo consistit, si vicinus cum vicino paciscitur, ut columna vel paries ejus perpetuo ferat onus ædificii sui. Et hoc jus onerandi parietem, vel columnam vicini ædificio suo est omnino servitus, quia paries murus vel columna vicini ab omni onere natura sua libera est, cum nemini absque servitutis constitutione jus in re aliena competat. Quia vera hujus servitutis hæc est natura, ut perpetuo ferat: murus vero, columna & paries perpetuo durare nequeat, dominus prædii servientis videtur per consequens obligatus, ad parietem collapsum reficiendum contra naturam servitutis, cum dominus prædii servientis, nihil facere sed tantum pati vel non facere teneatur. *l. quoties 15. §. 1. ff. de servit.* Et hæc est unica fere servitus, ubi dominus prædii servientis aliquid facere tenetur, nisi quod etiam in jure ad idem teneatur, ex cujus fossa ad meum fundum inferiorem aqua defluit, nam dominus fossæ eam reficere debet *l. 2. §. 4. ff. de Aqua plu. v. arcen. Manz. ad tit. ff. de Servit. P. Urb. n. 42. & seqq. Brunnem. ad l. 33. ff. de servit. P. Urb. num. 2.*

XIV.

Secunda servitus urbana affirmativa est *tigni immittendi*, daß Traunrecht inque eo consistit, si propter pactum conventum, vel aliam rationem, vicino liceat invicini parietem tignum, trabem, aut similem

Servitus oneris ferendi.

servitus
tigni im-
mittendi

Servitus
tigni im-
mittendi.

C



materiam ita immittere, ut in utroque prædio, tam dominante, quam serviente requiescat §. *bic* l. 2. ff. de *servit. P. Urb.* Dicitur autem servitus, quia nemini licet in alienum parietem sine ejus consensu quicquam immittere. *Wesenbec. ad ff. de servit. P. Urb. num. 7.* Adeo, ut, si vicino invito fiat, vicinus propria autoritate, illud tollere aut incidere possit. *l. quemadmodum 29. §. 1. ad L. Aquil.* Quod enim in meo solo vel pariete ædificatum est, cedit solo, ideo si destruo, vel incido, videor destruere potius id, quod est meum quam quod alterius. *d. l. 29. §. 1. ff. ad L. Aquil.* Rebus si quidem meis uti vel etiam abuti mihi licet *Harpr. h. n. 17.* Differt hæc à servitute *oneris ferendi*, quod is qui habet jus tigni immittendi non potest cum vicino agere, ut parietem reficiat, uti in superiore. *l. sicut 8. §. 2. ff. si servit. vindic.* Nam refectio ordinarie pertinet ad eum, qui utilitatem servitutis capit, non ad eum, cujus res servit *l. Et si forte 6. §. 2. ff. eodem.*

Servitus
stillicidii
vel fluminis
avertendi,

XV.

Tertia servitus urbana affirmativa est, *jus stillicidii, l. fluminis avertendi*, daß Trauffrecht / & est jus & facultas, avertendi seu derivandi in vicini ædes aream, vel cloacam (per quam fordes effluunt & eluuntur) suum stillicidium, hoc est guttas è tecto stillatim cadentes; vel flumen id est aquam collectam per canales vel tubas instar fluminis defluentem. Nemini enim stillicidium à suo tecto avertere, & in tectum vel aream vicini dirigere licet. Es mag niemand seine Trauffe oder Dachtropfen auff seines Nachbahren Dach oder Hoffleiten / nec quisquam stillicidia alterius invitus fuscipere cogitur, nisi servitute constituta. *arg. l. fin. §. 4. ff.*

§. 4. ff. *Quod vi aut clam.* Quælibet enim domus & area ex sua natura est & præsumitur libera. Atq; adeo unus quisque flumen & stillas ex suo tecto cadentes in proprias ædes vel aream recipere, aut juxta tectum suum canales, per quos aqua pluvialis ducatur in plateam publicam ponere tenetur. Quarta & ultima servitus urbana affirmativa, quæ ad hunc §. pertinere videtur, est jus *alius tollendi ædes suas.* Naturaliter quidem permissum est, cuilibet ædificare in altius usque ad cœlum *arg. l. altius 8. C. de ser. & aqua.* Tamen subinde consuetudine statuto & pacto vel alia ratione induci potest, ut invito vicino non liceat tollere vel altius ædificare, hoc igitur in casu, si vicinus permittat, præter usitatum ædificandi modum, & priorem ædium formam, altius ædificium tollere, is cui hoc jus permittitur, dicitur habere servitutem altius tollendi, i. e. ædificandi *Wesenbec. in paratit. ff. de serv. U. P. n. 3.* Nonnulli dicunt, hanc servitutem etiam per modum necessitatis constitui posse, ita ut vicinus possit cogere vicinum, ad hoc ut altius tollat ædes suas. Nam hoc prodesse potest ad arcendum impetum ventorum vel præstandam umbram eo in loco quo solem habere gratum non est, uti mercatoribus conducit, propter merces suas habere tabernas obscuriores. *Schneider. h. n. 17.* Verum hæc servitus, quia in illa dominus prædii servientis contra naturam servitutum aliquid facere tenetur, rarius constitui solet.

Servitus altius tollendi.

XVI.

Sequuntur servitutes urbanæ negativæ quarum prima est servitus *stillicidii non recipiendi*, quando quis

Servitus stillicidii non recipiendi.

C 2

Servitus al-
tius non
tollendi.

quis cum vicino suo paciscitur, ne aliò, quam in aedes vel hortum suum stillicidium dirigat, cum jure communi liceat, quocunque velit, & quomodo commodius potest, in plateam publicam avertere. Hoc igitur casu libertati vicini aliquid decedit, meo autem praedio commodum accedit, si vicino servitatem fluminis vel stillicidii non recipiendi imponam, v. g. Si habeo cisternam, cui implendae stillicidia domus meae non sufficiunt, vel hortum aedibus meis contiguum, qui ex vicini stillicidiis commode possit irrigari. *Mynsing. h. n. 9. Schneidew. n. 14.* vel cloacam, quae per flumen tectivici possit purgari, atque eo modo sordes facilius elui & auferri *jung. l. 20. §. 3. & seqq. de servit. urb.* Et haec servitus praecipue locum habere potest in locis maritimis, ubi magna dulcis aquae est penuria. Secunda servitus negativa est, *ne altius quis tollat aedes suas*, quando vicinus gravatur, ne aedes suas ultra certam aliquam praescriptam, & nobis utilem altitudinem ex tollat, cum alias quilibet ad caelum usque aedificare potest, cum quaelibet domus a fundamentis usque ad caelum praesumatur libera. *Schneidew. h. n. 19. Et aer semper pateat aedificanti l. altius 8. C. de servit. & aqu.* Quia igitur hoc onus derogat libertati alienarum aedium, & utilitatem praedio dominanti tribuit, apparet indubitatum servitatem esse. Cujus usus in eo consistit, ne vicinus luminibus vicini aedificando officiat, & ne prospectum in alterius aedes habeat.

XVII.

Servitus
non officii
lumi
ni,

Tertia servitus negativa est *ne luminibus vicini officiat*, quando vicino non licet aedificando luminibus

bus nostris officere, daß er mir das Licht nicht verbaue,
aut ullum aliud impedimentum luminibus inferre,
ubi non solum ædificatio, sed quicquid lumina obscu-
rare vel impedire potest prohibetur. *l. inter 15. ff. de
servit. præd Urb.* ita, ut nec arborem quis ponere pos-
sit, quæ luminibus obsit, nam & arbor procera efficit,
quo minus cœlum videri possit *l. si arborem 17. in princ.
ff. h.* Absque hac autem servitute non possum pro-
hibere vicinum, quo minus adversus mea lumina
ædificet, quia cuilibet in suo ædificare permissum est,
etiamsi alteri officiat. *l. Proculus. 26. l. fluminum 24. §.
ult. ff. de damno infect.* vel lumina obscurentur *l. cum eo
9. ff. de servit. P. Urb.* Dummodo non studio ad
æmulationem fiat *l. opus 3. in pr. ibi præterquam ff. de
oper. publ.* Ex hac servitute, fluit hæc quæstio, in praxi
utilissima. Utrum quis fenestram in suo pariete
facere possit, ex qua indomum vicini perspici que-
at? Et respondetur nisi servitus vel statutum loci aut
consuetudo adsit, quæ mihi hoc prohibeat *l. altius
8. C. de servit. & aqu. Schneidew. h. n. 21.* quilibet lu-
minis causa parietem suum aperire, in eoque invito
etiam vicino, jure suo fenestras facere potest. Andr-
Gail. *lib. 2. observ. 69. n. 31.* Carpzov. *in I. F. part. 2.
Const. 41. defin. 12. n. 3.* Unicuique enim pro lubitu in
suo ædificare concessum est, etiam cum incommodi-
tate alterius. *l. sicuti 8. §. Aristo. ff. si serv. vindic. l.
fluminum. 24. §. ult. ff. de damno infecto.* Nec habet vici-
nus de quo jure conqueratur, quod hac ratione vici-
no secreta suæ domus aperiantur. Si quidem inte-
grum ipsi est, alium in fundo suo parietem contra ædi-
ficare, atque ita prospectum vicini in aream vel hor-

tum suum impedire. *arg. l. 11. de servit. P. Urb. Carpz. d. loco. n. 4. & decis. 108 n. 21. Richter decis. 6. n. 4.*

XVIII.

§. 2.
Quænam
dicantur
servitutes
natura ru-
sticæ.

Servitutes utrum natura ac origine sua sint personales, vel prædiales, eæque vel rusticæ vel urbanæ, maximè dijudicandum est, ex fine & usu earum, ad quem primum sint inventæ ac destinatæ, vel cui potissimum & ut plurimum usum præstent: nam si prædio urbano vel rustico ut plurimum utilitatem & usum afferunt, vel ejus gratia ad inventæ, sunt natura urbanæ vel rusticæ: Si personæ, personales: Ideoque inter rusticorum prædiorum servitutes in hoc paragrapho recte computantur, *aquæ haustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ.* Nam videntur ut plurimum in servire prædiis rusticis, eorumque gratia potissimum sunt inventæ. *l. 1. §. 1. l. 2. §. 1. & 2. l. 3. §. ult. l. 4. l. 5. l. 6. in fin. l. 9. de servit. P. Rust.* licet interdum etiam urbanis prædiis & personæ utilitatem afferant, quibus casibus pro urbanis & personalibus servitutibus habendæ sunt. *l. 14. §. ult. in verb. Nam & haustus aquæ ff. de adimend. l. trausf. legat.* Ita etiam servitutes natura urbanæ interdum fiunt rusticæ. *vid. l. 2. init. ff. de serv. P. Rust.*

XIX.

Servitus
aquæ hau-
stus.

Est autem *aquæ haustus.* Germ. die Gerechtikeit deß Wasserschöpfens jus aquæ hauriendæ ex privato alterius flumine, fonte, vel puteo, ad nostri prædii utilitatem. *Wesenb. in parat. n. 3. ff. de servit. rust. prædio. Schneidew. h. n. 27.* Nemo enim quicquam in alieno, invito domino, facere potest. Ergo ut mihi liceat in fundo alieno versari, & ex fonte vel puteo
aquam

aquam haurire, necesse est, ut servitus sit constituta, & tendit ad hortum, pratum, vel agrum irrigandum, imo pro pecoribus ad aquandis, & potandis illis, qui in prædio laborant, concedi potest. Omnis enim hic usus ad utilitatem prædii spectat. Porro is, qui habet aquæ haustum, iter quoque habere videtur ad hauriendum, cum uno concesso, omne id concessum intelligitur, sine quo alterum expediri non potest. *l. 2. ff. de Jurisdic. Appulsus vero pecoris ad aquam*, vulgo die Biche Träncke, est jus pecoris ad aquandis seu appellendis ad fontem, puteum, vel alias aquas vicini, ut commode pecus habere possimus, stercorandi agri causâ.

Quid sit
pecoris ad
aquam ap-
pulsus.

XX.

Sequitur jus pascendi, Germ das Weiderecht oder Weidung: Et nihil est aliud quam facultas pascendi pecus nostrum in fundo agro, vel pascuis alienis §. 2. *hic l. pecoris 4. ff. de servit. præd. Rust.* Nemo enim pecora sua in alterius fundo, in quo jus pascendi non habet, pascere potest. *l. quantus 39. ff. ad l. Aquil. Richter decis. 5. num. 2.* Quodlibet enim prædium præsumitur liberum à qualibet servitute *l. altius 8. eum seq. C. de servit. & aqu.* Illud autem jus aut debetur personæ, aut villæ seu fundo, & prius est personale; posterius reale *l. pecoris 4. ff. de servit. P. Urb. Faber in Cod. l. 3. tit. 24. defn. 11.* Si est servitus personalis, non egreditur personam, cui fuit concessa, sed una cum ipsius morte extinguitur, nec ad hæredes transit Cæpoll. *de Servit. Urb. P. c. 4. n. 4 & 5.* Permissum tamen est personæ hanc servitutem habenti, ista
uti

Servitus
pascendi.

Vel est
personalis.



uti ad lubitum & agere pecus in pascua, ubicunque
& quantum habuerit, dummodo tamen civiliter id est,
moderate fiat, & ita ne alter usu rei suæ careat. Mæv.
part. 5. decis. 251. Brunn. ad l. pecoris 4. ff. de servit. R. P.
Uti enim servitutem acceptio stricti juris; ita earum
usus non nimis ampliari debet, sed arbitrio judi-
cis relinquendum, moderate de eo statuere. *l. certo 13.*
S. 1. & seqq. ff. de servit. Urb. præd. Ante omnia vero
Judex cavere debet, ne domini prædii jus plane inutili-
le ac deterius fiat *l. Quintus 15. ff. de servit. rust. præd.*
l. edificium 24. ff. de servit. præd. urb. l. 3. S. is qui
aquæ 5. ff. de Aqu. quot. & est v.

XXI.

Vel realis. Jus vero pascendi reale quod villæ, aut fundo de-
betur, vel in genere conceditur absque ulla restrictio-
ne & determinatione pecudum. Et hoc casu cum
omni pecore, cujuscunque generis illud uturpare li-
cet. *argum. l. si servitus 23. ff. de servit. U. P. l. cer-*
to generi 13. S. ult. ff. de servit. P. R. Prückman. vol.
I. cons. 14. n. 3. Berlich. p. 2. conclus. 41. num. 13. Modo
pecus in illa villa, prædio vel fundo, cui jus pascendi
concessum est, alatur. Nam alia pecora, seu quæ ali-
bi habentur, illuc adduci non licet. Nam jus servitu-
tis fundo concessum, non ultra illum fundum profi-
cit: Eatenus enim tantum est ejus usus, quatenus ad
illum fundum opus est. *l. ergo 5. S. 1. in fine ff. de servit.*
Rust. præd. Mæv. d. decis. n. 5. Brunn. ad d. l. 5. n. 2
ff. de S. P. R. Idem obtinet in pascuis communibus,
ubi non amplior pecoris numerus quam qui in villa
sua à singulis alitur, agi potest, nec debet: Quod
Germanice ita profertur. *Das auff die gemeine Weide*
ein jeder

ein jeder so viel Viehes treiben mag / als er auff seinen Hoff
hält / und ausfüttern oder austwintern kan. Verum hic
constitutiones singularum provinciarum consulendæ
sunt. Ita in Ducatu Guelferbytano, qui equis nulla
servitia præstat, equos etiam in pascua communia im-
mittere non potest. Fürstl. Braunschweig. Landes-
Ordnung S. 35. Wer mit den Pferden keine Dienste thut
der sol auff gemeine Weide mit den Pferden nicht gelitten
werden / nisi aliud usu & consuetudine receptum sit
per d. S. 35. jung. Landtags Abschied zu Sandersheim de
anno 1612. zum neun und zwanzigsten. Quid in Episco-
pato Hildesensi ea in re obtineat, vid. Fürstl. Stifte
Hildesheim. Policeny Ordnung art. 70. in verbis: Daß
nun hinführo em Köhler so unter 5. Morgenlandes hat
kein Pferd ꝛc. Præterea Jus pascendi restringendum
est ad tempora, ubi agri non sunt clausi: Nemini
enim licet clausis agris & pratis, wen die Felder ge-
schlossen und die Wiesen geheget werden pascere, licet
jus pascendi in aliquo loco habeat: Qui enim contra
faciunt ad damni restitutionem tenentur & præterea
multa afficiendi sunt. Solent autem prata commu-
niter claudi primo die Maji. In nonnullis tamen lo-
cis citius vel tardius hoc fieri cosuevit, & hæc prohi-
bitio durat usque ad messem finitam. Da werden die
Aecker und Wiesen wieder geöffnet Fürstl. Braunschw.
Landes Ordnung S. 56. Alle gemeine und privat Wiesen
so gewöhnlich geheget werden sollen auff Walpurgis &c.
jung. Fürstl. Stifte Hildesheim Policeny Ordn. art. 95.
Die gemeine Wiesen ꝛc. sollen jedes Orts gewohnheit nach/
es sey auff unser lieben Frauen Tag in der Fasten / Wals-
purgis / Fronleichnambs Tag / oder was es vor Zeiten
D oder

oder Tage seyn mögen außgestecket und zugeschlagen werden.

XXII.

Jus pascendi solet restringi ad certum genus,

Et numerum pecudum imo etiam ad certum modum,

Nec morbidas pecudes in pascua immittere,

Nec sine prædio dominante alienare licet,

Aut jus pascendi ad certum genus pecudum, v. g. oves, aut ad certum numerum, ut quingentas pecudes: Aut ad certum modum est determinatum, & non aliter uti licet, quam quemadmodum conventum fuit. *argumento l. 1. §. si convenerit 6. ff. Deposit. l. qui luminibus 11. ff. de S. U. P. l. 1. §. Trebatius 18. ff. de aqua quot. §. aestiv. Johann Schneidew. ad princ. Instit. de S. R. P. n. 30.* Inde inferunt, quod is, qui jus pascendi ex uno ovili habet, non possit novum ovile extruere in illo loco, ubi antea nullum fuit. *arg. l. rusticorum 2. §. ult. ff. de S. R. P. l. hoc jure 3. §. 1. ff. de aqua quotid. §. aestiv. Berlich. part. 2. conclus. 49. n. 12.* Quia porro possessor prædii dominantis, servitute pascendi ita uti debet, ne domino prædii servientis noceat. *arg. l. 1. §. idem ajunt aquam 11. ff. de aqua plu. arcend.* Ideo non debet pecora vel oves morbosas in pascua immittere, ne & aliæ contagione afficiantur, pereantve. *arg. l. Julianus 13. in prin. ff. de act. emt. can. 16. caus. 24. q. 3. can. penult. vers. sicut. Ex unâ ove morbida. distinct. 45.* Neque etiam dominus prædii dominantis, jus pascendi sine ipso dominante prædio vendere *arg. l. ex meo 34. ff. de servit. præd. Rust. nec pignori dare. Johann. Harprecht h. n. 22.* Nec locare potest *l. 44. ff. locat.* ut pote quæ etiam est quasi alienationis species *l. 1. prin. C. de Jur. Emphiteit. l. ult. C. de reb. alien. non alienand. Carpzov. lib. 1. respons. 57. num. 9.* Tum quod servitus non valeat si ea utilitatem prædii cui constituta est, non contineat. *l. quoties.*

ties 15. ff. de servitut. Jam hoc fit si jus pascendi al-
 teri locatur, nil enim inde commodi ipsi prædio do-
 minanti accedit. Tum quod servitutes ita prædio
 dominanti inhærent, ut inde separari, adeoque abs-
 que eodem prædio alienari vel in alium transferri
 non possint. *l. 1. §. 1. l. 12. ff. com. præd. l. via 23. §.*
si fundus 2. l. cum fundo 36. ff. de servit. rusticorum præd.
l. unus ex sociis 24. l. 36. ff. eod. l. si aliena 10. §. 1. ff.
de usurp. & usuc. Demum & hoc notandum, licet
 rusticis, vel aliis à certo tantum tempore, servitus
 pascendi competat, domino prædii servientis, ante
 illud tempus, in eodem loco sua pecora pascere per-
 missum esse: Dominus enim alteri in suo fundo ser-
 vitutem constituens, fundo suo uti non prohibetur.
 Johann. Köppen. *decis. 25. n. 11.* Et in dubio, si utri-
 que domino tam dominanti quam servienti pascua
 non sufficiunt, præfertur dominus prædii servientis.
 Cöler. *decis. 218. n. 3.* Neque enim causa servitutis
 debet esse potior, quam causa domini. *l. præses 6. C. de*
servit. & aqua. Ubi Salycet. *in Notab. Berlich. part. 2.*
decis. 201.

XXIII.

Servitus *calcis coquendæ* est jus parandi calcem in Jus calcis
 fundo alieno ad utilitatem prædii dominantis, ein coquendæ,
 Kalck oder Brenofen halten. Ejusdem generis sunt ser-
 vitutes *arenæ fodiendæ*, Arenæ fo-
Sandgruben & lapides exi- diendæ.
mendi Steinbruch / quatenus pro fundi & prædii do- Lapides
 minantis necessitate opus est, v. g. ut casas, tuguria eximendii,
 horrea ædificare, atque integere liceat, in quibus fru-
 ctus colligantur & pecudes asserventur *vid. l. veluti 6.*
ff. de servit. præd. rust. l. ergo 5. in fine ff. eodem. Quod

D 2

si e-

si enim hisce juribus pro arbitrio uti, iisque quaestum
facere liceat, tum usus fructus potius, & personales
fiunt servitutes. neque personam excedunt, neque in
haeredes transmittuntur. *l. item si 9. §. sed si 2. de usu-
fruct.*

XXIV.

§. Ideo au-
em 3.

Res.

Haecenus de fundamento, naturâ & indole servi-
tutum praedialium, earumque speciebus actum fuit.
Nunc tria adhuc breviter consideranda erunt, *res* &
personae ad eas necessariae; demum *modi* illas constitu-
endi. *Res* consistunt in praediis ad servitutes reales
necessariis. Quoniam enim sine praediis constitui non
possunt, ideo servitutes *praediorum* appellantur. Et
duplex ad constitutionem requiritur praedium, alte-
rum quod servitutum debet & vocatur *serviens*: Al-
terum cui servitus debetur & *dominans* dicitur. Al-
dominante, tanquam potiori praedio servitutes vel *rusti-
cae* vel *urbanae* dicuntur. Perinde autem est, sive sint
actu sive *potentia*: Nam futuro etiam aedificio servitus
imponi potest. *l. si servitus 23. ff. de servit. urb. praed.*
& aquae nondum inventae, ita, ut aquam quaerere
& inventam ducere liceat. *l. Labeo 10. ff. de servit. rust.
praed.* Licet enim non entis nullae sint qualitates; haec ta-
men in eum eventum constitui possunt, si ex non ente
ens esse coeperit. Gothofredus *ad dict. l. 23.* Saepè enim
potentia propinqua actui pro actu habetur. *l. penult.
ff. de testam. milit.* Et tunc primum servitus incipit
cum aedificium existit, & per rerum naturam existere
& constitui potest. *arg. l. interdum 73. ff. de V. S.*

XXV.

Personae,

Duplex in servitutis constitutione persona confi-
sidera-

sideranda est, altera istam constituens, altera eam ac-
quirens. Persona servitutem constituens iterum du-
plex est, *publica & privata*. Publica est iudex, qui ex
officio & in iudicio per sententiam servitutem alicui
constituit, idque locum habet in iudiciis uti vocantur
divisoriis, *Familiae scilicet erciscundae, & communi di-*
vidundo iudicio, uni proprietatem alteri servitutem in
re communi adjudicando *l. 22. §. 3. ff. famil. ercis. jud.*
In *privata* persona requiritur (1) Ut habeat dominium
praedii servientis, quia nemo servitutem debere potest,
nisi qui praedium habet, *per final. verba §. 3.* Quod si
praedium sit pluribus commune, omnium sociorum
consensu servitus conceditur. *l. 2. ff. de servit. l. 6. §. 1.*
ff. com. praed. (2) Ut possit alienare; nam servitutis
concessio est alienatio. *l. ult. C. de reb. alien. non alien.*
in verbis: Simili modo & servitutes minimè imponi.
Inde impuberes non possunt concedere servitutem nec
vasallus feudo servitutem imponere potest, & si im-
posuerit, vasallo quidem, donec feudum tenet, obest:
Domino autem, agnatisve succedentibus, etiamsi per
longa tempora perseveraverit, servitus minime no-
cet. *2. feud. 8. in final. verb. princip.* In persona ac-
quirente pariter requiritur, ut habeat dominium
praedii dominantis. Nemo enim potest servitutem
acquirere urbani vel rustici praedii, nisi qui habent
praedium. *§. 3. b. l. 1 §. 1. ff. comm. praed.* Si solum est
commune, per unum socium servitus ei acquiri non
potest, quia nemo, nisi sibi, servitutem recipere po-
test, sed prius sociorum consensus accedat necesse est.
l. 5. ff. comm. praed. Perinde vero est, sive acquirens
plenum, sive utile dominium habeat. Inde Vasallus
praedio

Conceden-
tes.

Publica.

Privata.

Persona ac-
quirens.

prædii feudali servitutem acquirere potest. *tex feud. 8. prin.* Potest enim rem feudalem facere meliorem non deteriorem. Quod non est in potestate usufructuarii. *l. 15. §. ult. ff. de usufruct. l. 2. §. 2. ff. si servit. vind.* Cum enim servitus prædio debeatur, illud autem non sit usufructuarii, nec illi servitutem acquirere potest.

XXVI.

§. Si quis velit. 4.

Modus constituendæ servitutis realis fit pactis.

Vbi promissio.

Modus constituendæ servitutis realis est triplex, vel enim servitus constituitur *pactionibus atq; stipulationibus*, atque adeo per actum inter vivos, *vel voluntate ultima vel præscriptione §. 4. h. l. 16. ff. comm. præd. l. fin. C. de præscript. long. temp. l. unica C. de usucap. transform.* Quando servitus *pactionibus* constituitur, per pactiones, generaliter vocabulo sumto, intelliguntur pacta legitima & contractus: Ita servitus potest, donari, vendi, imo etiam servitus rustica oppignoratione constituitur. *l. 12. ff. de pign. & hypoth. 2.* Vocabulum *constituere* hic late sumitur, & sub se comprehendit promissionem constitutionem & acquisitionem servitutis. Nam quemadmodum rei corporalis dominium non potest acquiri, nisi ex iusta causa ac titulo, & subsecuta traditione. *§. 40. Inst. de Rer. divis. l. 20. C. de pactis.* Ita etiam rerum in corporalium & servitutum acquisitio requirit iustum titulum, & quod est instar traditionis, nam vere tradi nequeunt, quia non possunt tangi. Titulus consistit in promissione servitutum ex iusta causa & pactionibus atque stipulationibus facta. Traditio à parte domini prædii servientis & servitutem constituentis, *in patientia & non facto* uti hoc posterius fit in servitutibus negativis altius non tollendi, vel luminibus non officiendi. *l. 15. §.*

l. 15. §. 1. in fin. ff. de servit. l. 11. §. 1. in verb. per patientiam ff. de Publ. in rem act. l. 1. §. 2. ff. de servit. præd. Rust. A parte vero acquirentis consistit in usu. *l. ult. ff. de servit.* Interdum fit quasi traditio servitutis in-^{Constitu-}ductione in prædium serviens *arg. l. 1. §. 2. in verbis: traditio ff. de servit. præd. rust. l. 11. §. 1. ff. de Publ. in rem actione l. 3. ff. de usufruct. interdum cessione: Nam quod in rebus corporalibus est traditio, in juribus solet esse cessio *l. 20. §. 1. ff. d. S. U. P. l. 11. ff. de servit. præd. rust.* ac cautione, per te fieri non debere, quominus utar. *l. ult. ff. de servit. l. 3. §. 2. ff. de Act. emt.* Atque hoc modo constituitur servitus. Acquiritur vero servitus usu. Quemadmodum enim rei corporalis dominium acquiritur rei vel signi, quod loco rei ^{Et acquisitio consideratur.} traditur acceptatione, ita demum quis servitutem realem acquisivisse dicitur, quando liberum illius usum habet eaque utitur. *l. fin. ff. de servit.**

XXVII.

Constituitur servitus prædialis ultima voluntate in servitutibus negativis si testator hæredem damnat, sive jubeat ne aliquid faciat in prædio serviente hæreditario, v. g. ne altius tollat ædes: Ne luminibus ædium vicini officiat. In affirmativis si testator velit, ut hæres aliquid patiat in re hæreditaria serviente e. g. ut patiat Dominum prædii dominantis, tignum in parietem hæreditarium immittere stillicidiumve habere, vel ut patiat per fundum ire, agere, aquamve ex eo ducere. *§. 4. h. l. 16. ff. comm. præd.* Nam voluntas testatoris est instar legis, cui hæres obtemperare tenetur. *l. 14. in fine ff. qui testam. facere poss.* *Nov. 22. cap. 2.* Demum etiam præscriptione ^{Vel præ-}acquiri-^{scriptio.}tur

Requisita
servitutis
præscri-
bendæ.

tur servitus *l. fin. in verb. final. C. de præscrip. long. temp. l. 10. §. 1. ff. de usurpat.* Et quidem à parte præscribentis requiritur 1. ut servitute *usus sit per longum tempus.* Quia enim ad omnem præscriptionem requiritur possessio vel quasi, ergo in servitutum præscriptione, usus est instar possessionis, sive quasi possessio. *l. 10. ff. si servit. vind.* Per longum vero tempus intelligitur inter præsentem tempus decem inter absentes viginti annorum. Servitutes enim prædiales, quia rebus immobilibus in hærent, pro immobilibus & rebus soli habentur. *l. final. in verb. final. C. de præscript. long. temp. l. unic. C. de usucap. transform.* Res autem immobiles inter præsentem per decem, inter absentes per viginti annos præscribuntur. 2. Quia ad omnem præscriptionem requiritur bona fides, ideo in præscriptione servitutum est instar bonæ fidei, si præscribens utatur servitute non vi id est, eo, adversus quem præscribitur, patiente, nec invito; *Non clam* hoc est sciente illo, quæ tamen scientia ex diuturnitate temporis præsumitur; *nec precario*: Nam precarius usus semper & quovis tempore revocari potest *l. 2. §. 2. ff. de preca.* A parte vero ejus, adversus quem præscribitur servitus, sufficit patientia: Ex patientia enim titulus præsumitur. *arg. l. 10. ff. si servit. vindicetur. & l. 15 ff. de servit. l. 11. §. 1. ff. de publ. in rem actione l. 5. §. 3. ff. de itinere actus privat. l. final. de aqu. plu. arc.* Præterea in præscriptione servitutis negativæ requiritur, ut dominus prædii servientis in suo aliquid facere fuerit prohibitus. v. g. in servitute altius non tollendi ne ædes suas altius tollere potuerit, inque ea prohibitione acquieverit. Nam

Nam demum à die prohibitionis quis constituitur in
quasi possessione servitutis negativæ; & ex eo tem-
pore præscriptio currere incipit Schneidew. *ad d. S.*
num. 7.

XXIIX.

Jure Saxonico omnes omnino servitutes indiscri-
minatim, triginta annis, cum anno & die præscri-
buntur. *lib. 1. Landrecht art. 29. ubi Gloss. lit. A. &*
Gloss. penult. & lib. 2. Landrecht art. 28. Carpzov. lib. 1.
responsio 26. n. 3. & seq. Richt. decis. 21. n. 57. Cum
servitute negativa affinitatem habet jus cogendi vici-
nos, ut certo aliquo molendino utantur, eine Zwang-
mühle haben. Licet enim molere in hoc vel illo molendi-
no sit actus meræ facultatis, & ex libera facultate nostra
dependens, in quo nec obligatio nec quasi possessio
alicui regulariter acquiritur, unde licet subditi lon-
gissimo tempore ad certum molendinum iverint,
indetamen in futurum cogi nequeunt, ut ibi molant.
Covarruv. *in c. possessor. de Reg. Jur. in 6to in 2. p. relect.*
S. 4. Franciscus Balb. de præscript. S. 4. quæst. 5. Borch.
in c. uni. Quæ sint regalia. Ut ut per mille annos ejus-
modi molendino usi fuerint. Wehner. *in practic. Ob-*
servat. in verb. Mühlen. Si tamen subditi, vel vicini,
prohibitione facta, ne alio, quam aliquo certo molen-
dino utantur, per tempus lege definitum acquie-
rint, jus illud cogendi præscriptione acquiritur, ut ii
jure servitutis cogi possint, ne imposterum alibi mo-
lant. Cœpoll. *de servit. urb. præd. cap. 50. n. 2. Knichen.*
de sublim. territ. c. 3. n. 121. & sequent. cum n. 130. Min-
danus lib. 2. de mandat. c. 38. n. 3. Carpzov. in J. F. p. 2.
constit. 4. definit. 9. n. 3. Et quidem hæc præscri-
ptio

E

ptio



ptio in foro Saxonico requirit spatium triginta annorum anni & diei. In hoc Ducatu tempus vel 50. vel triginta annorum Landtages Abschnyd zu Salzdalen de anno 1597. §. Zum zwen und zwanzigsten in verb. Es sey dann denselben anders wo zumahlen von alters verboten/ und sie darauff in der Mühlen dahin sie gezwungen/ sie der Zeit da Wenland Herzog Heinrich der Jünger hinwieder zu Land und Leuten kommen/ als nemlich anno 1547. und also 50. Jahr von dato an zu rechnen gemahlen haben zc. Landtages Abschnyd zu Sandersheim de anno 1601. §. zum dreyzehenden in verb. welche nicht auff beschehenes verbot/ anders wo zu mahlen dreysigjahr nach ein ander auff einer Mühlen sich des mahlens gebrauchet haben zc. Landtages Abschnyd zu Wolffensbüttel de anno 1619. §. zum zwanzigsten/ soles wegen des freyen Mühlengangs bey dem Salzdalemischen Abschiede art. 22. ungeändert gelassen zc. Quid de molis bannalibus in Episcopatu Hildesensi constitutum, cernere licet, in der Fürstl. Hildesheim. Policen Ordnung art. 132. Niemand sol die Zwangmühlen vor bey/ und in Fremde fahren bey Straffe dem Uckermann bey 7. dem Köhler bey 6. fl.

XXIX.

Tit. 4. Hactenus de servitutibus prædialibus five realibus actum fuit. Nunc ad servitutes personales progrediendum, quarum indoles in eo consistit, ut res aliena immediate personæ serviat h. e. utilitatem præstet, & est præcipue triplex, *Ususfructus*, *Usus*, & *Habitatio*. Aut enim nobis competit facultas omnes fructus, & omne commodum ex re aliqua percipiendi & dicitur *ususfructus*. Aut vero tantum fructuum & utilita-

Tit. 4.
init.

Quid sit
servitus
personalis.

Quota-
plex.



utilitatis, quantum, ad nostrum, nostrorumque sustentationem est necessarium, & vocatur *usus*. Aut nobis jus est alienas aedes ad tempus vitae gratis inhabitandi & est *habitatio*. Et primum ab usufructu exordiemur. Estque ille *jus alienis rebus utendi fruendi salva rerum substantia*. *Initio h. l. 1. ff. eodem*. Germ. est die *Dienstbarkeit / des Nießbrauchs Nutznießung Fruchtnießung / der nießliche Gebrauch*. Per vocabulum *jus* hic intelligitur potestas & facultas in re competens, & sic in materia servitutum sæpius accipitur. Additur *utendi fruendi*. hoc est omnes fructus percipiendi ex re usufructuaria: sive sint naturales; ut fructus arborum s. industriales ut fructus agrorum sive civiles; uti sunt annuæ pensiones, mercedes die *Pacht* und *Mietgelder*. De fructibus ultimi anni, quo usufructuarius mortuus est quæritur, utrum ad dominum proprietatis, an vero usufructuarii hæredes pertineant? Et distinguendum inter Jus Civile & Saxonicum. Jure Civili iterum distinguendum inter *naturales & Civiles* fructus: Illi vel percepti ab usufructuario vel non §. 37. *Inst. de rerum divis.* Perceptos ad hæredes transmittit, sive illi naturales sint, in specie ita dicti, sive industriales. *l. 13. ff. quibus mod. ususfruct. vel usus amitti*: Dicuntur autem percepti, qui *separati* sunt sive ipse usufructuarius eos *separaverit* sive alius ejus nomine & si sint solū demessi, & jacentes. *d. l. 13.* *wiewol sie noch nicht eingesamlet*. Contra nondum percepti, *unauffgehobene Früchte* ad proprietarium pertinent, quia sunt pars soli *l. 44. ff. de R. V.* Hujusmodi sunt 1. Ab alio separati 2. Pendentes. *noch stehende* 3. Sati & occati. *l. 28. ff. de usufr.* so gesäet und beegeret. Civiles vero fructus veluti

usuræ pensiones, census, ac reditus, jährliche Fälle. si ex re singulis diebus usum ferente ut sunt ædificia, percipiuntur, pro rata temporis ad hæredes usufructuarii, & dominum proprietatis pertinent. *l. 26. ff. de usufructu. argumento l. 48. ff. eodem.* Sin vero ex re non singulis momentis, sed certo solum anni tempore v. g. tempore messis usu ferente capiuntur, uti sunt reditus agrorum; si ante mortem usufructuarii à colono fuerint percepti, ad usufructuarii hæredes pertinent licet dies solvendæ pensionis, vivo usufructuario nondum venerit. *d. l. 18. de usufructu* Proprietarii vero fiunt, si demum post mortem usufructuarii à colono percipiuntur. Joh. del Castillo *de usu fructu. c. 77. n. 20. & seqq.* Hahn *ad tit. ff. quibus modis ususfruct. amitt. n. 3.* Jure Saxonico si usufructuarius decedit, postquam ager consitus & rastris sub actus fructus etiam nondum extantes ad fructuarii hæredes transmittuntur *Landrecht lib. 2. art. 5. lib. 3. art. 26. & 77.* Hinc vulgo dicitur, was die Egde bestrichen und die Hecke bedeckt hat, das folget dem Erbe. Jus enim Saxonicum pro labore mercedis loco, & propter culturam fructus industriales usufructuario ejusque hæredibus addicit, etiam si percepti nondum fuerint Carpzov. *in J. F. part. I const. 5. defin. 21. n. 3. & seq. & p. 3. consti. 32. defin. 5.* Quod & in vineis quando maximus culturæ labor peractus scil. die Hacke, licet nondum ultima cultura adhibita, die Hur / obtinere testatur Richt. *decis. 56. n. 4.*

XXX.

Porro additur *rebus alienis.* Hoc est commune omni servituti. Nemini enim res sua servit *l. 5. ff. si ususfruct. petatur l. 26. ff. de servit. præd. urb.* Habet enim & do-

& dominus jus utendi re sua sed non separatum à jure
dominii, verum illud causatur ipsum dominium & in-
de etiam causalis usufructus appellatur. *l. 21. §. 3. ff.
de except. R. J. l. 126. §. 1. ff. de V. O.* Usufructus vero
quatenus est servitus personalis, est jus planè à domi-
nio separatum, quod etiam distinctam atque separa-
tam à dominio formam habet, ita ut ad alium proprie-
tas & dominium, ad alium usufructus rei pertineat, &
hic est usufructus formalis, de quo in *nostro titulo*
agitur. Ex ultimis demum descriptionis verbis, *salva
rerum substantia*. Partim res in quibus usufructus con-
stituitur, uti sunt quæ usu non consumuntur, de qui-
bus infra pluribus, partim potestas & jus, quod usu-
fructuarius in re usufructuaria habet, colligitur. Quod-
cunque enim mutat substantiam rei usufructuariæ,
vel solum eam reddit deteriore, quia salva rei usu-
fructuariæ substantia manere debet, illud usufructua-
rius facere nequit *l. 13. §. penult. ff. h.*

XXXI.

Quia vero metus subest, ne usufructuarius male
utatur re usufructuaria, ejusque substantiam mutet,
vel saltem deteriore reddat, ideo proprietarius ab
usufructuario potest exigere cautionem. *l. 13. in init.
ff. de usufruct. tot. tit. ff. usufruct. quemad. cav.* Licet
in testamento ea usufructuario remissa fuerit: nam re-
missio pro nulla & non adjecta habetur. *l. 6. ff. ut in
possess. legat. vel fidej. l. scire 7. C. eodem l. 1. C. de usu-
fruct. Gail. l. 2. observat. 145. Hahn ad Wesenb. tit.
usufruct. quemad. cav. n. 2. ad verb. cogendus.* Nisi ipse
proprietary (quia hæc cautio non est de essentia usus-
fructus, adeoque abesse, ac remitti potest) vel ipsum

Cautio ab
usufructua-
rio est exi-
genda.

Licet in te-
stamento
remissa sit,

Nisi jus vel
proprietaria-
rius eam
remittat,



jus usufructuario eam remiserit: quod posterius fit in personis & casibus, ubi nullum damnum metuitur, vel ubi ratione damni etiam absque cautione possumus securi esse, qualis casus est 1. in patre usufructum bonorum filii adventitiorum habente *l. ult. §. 4. in fine l. 6. §. 2. C. de bonis quæ liberis* 2. In usufructuario ad quem proprietatis rei usufructuariae aliquando sit perventura. *l. 9. §. 2. ff. Ususfruct. quemadm.* 3. In fisco. semper enim solvendo habetur *l. 3. §. 10. ff. de Carb. Edict. l. 4. §. 10. ut leg. servand. caus. cav.* 4. In donatore qui proprietatem retento usufructu donavit. *arg. l. 28. ff. de R. J.*

XXXII.

De quibus
nam inter-
ponatur.

Et
quomodo.

Cautio autem interponitur de tribus. 1. Quod usufructuarius boni viri arbitratur euti frui velit h. e. nolit ejus substantiam mutare, nec illam reddere deteriore 2. illum, cum ususfructus ad eum pertinere desinet, restitutum quod inde extabit & 3. si res negligentia usufructuarii amittatur, eum proprietatis æstimationem præstaturum esse. *l. 1. §. 2. ff. ususfruct. quemad. cav.* Hæc autem cautio jure civili fiebat satisfactione h. e. fidejussoribus, hodiè si nulli fidejussores sunt, pignoribus fieri potest. Ubi autem usufructuarius ob inopiam nec fidejussores nec pignora habet, si est vir bonæ fidei, ad juratoriam cautionem admittendus est, quando judex ita arbitrabitur *Anth. generaliter C. de Episc. & Clericis Novell. 112. c. 2.* Alias vero res usufructuaria alteri locanda, & pensio usufructuario præstanda, vel etiam proprietario relinquenda, ut loco fructuum aliquid quotannis ei solvat. *Mynsing. cent. 6. observat. 48. n. 8. Hahn dict. loco in fine*



fine. Ut vero constet an res mutata vel peior reddita
& quænam sit restituenda, usufructuarius rem usu-
fructuariam in testatum redigere, id est ejus descriptio-
nem, vel designationem facere, non vero solenne in-
ventarium conficere tenetur. *l. 1. §. recte 4. ff. usufruct.*
quemad modum.

Rei usufructuariae designationem facere usufructuarius debet.

XXXIII.

Modi acquirendi usus fructus sunt duplices, *immediati & mediati.* Immediate usus fructus acquiritur *ipso jure* citra factum hominis 1. *Patri*, vi potestatis patriæ in bonis liberorum non emancipatorum adventitiis. *§. 1. Inst. per quas personas cuiq; acquiritur. l. 5. C. de bon. quæ lib. l. 1. C. de bon. matern.* Etiam ad secunda vota transeunti. *Novell. 22. c. 15. l. final. C. de bon. matern.* Moribus Saxonis extra Saxoniam Electoratum secundum plerosque Doctores, patre mortuo, etiam matri competit usus fructus propter onus educationis & alimentationis *Yandrecht lib. 1. art. 11. ibiq; Gloss. latin. Richter decis. 18. n. 11. & seqq.* 2. *Patri* pro præmio emancipationis in dimidia tantum parte bonorum ad liberos emancipatos pertinentium. *§. 2. Instit. per quas personas cuiq; acquiritur. l. 6. §. 3. C. de bon. quæ lib.* Quod tamen moribus non amplius obtinere volunt. 3. *matri* ad secundas Inuptias transeunti, liberis superstitibus, iis in bonis, quæ à priori marito habet, & in quæ bona paterna liberis successit. *l. 2. §. 1. cum Auth. seqq. C. de secundis nuptiis Nov. 22. c. 46. §. 2.* 4. *Patri* ad secunda vota transeunti in bonis quæ ab uxore accepit. Nam proprietas ad liberos transit. *l. 5. C. de secund. nupt. Novel 127. c. 3.*
Mediate acquiritur usus fructus facto hominis. Hic vel

§. Usus fructus 1.

Acquiritur usus fructus ipso jure.

Officio Iudicis in-
dicis in-
dicis di-
visoris.
vel *judex* vel *privatus* est. Officio iudicis in iudiciis
familiæ ercisundæ & communidi vidundo. per adjudicati-
onem, si iudex alii proprietatem adjudicaverit, alii
usum fructum constituat. *l. 6. §. 1. ff. de usufruct.* Ita ut
inde statim actio confessoria oriatur. Quod si vero ex
alia causa v. g. Stipulatione, usufructus alicui adjudi-
catur, ex hoc iudicato, quia oritur ex contractu sti-
pulationis, non potest descendere actio realis & confes-
soria, cum hæc semper fundata sit in iure in re, non vero
in iure ad rem vel contractu sed solum actio personalis.
l. 8. in fin. C. de rebus cred.

XXXIV.

Vel volun-
tate ex-
pressa aut
tacita &
præsumta
Prius fit
vel ultima
voluntate,
Privatus usum fructum concedit vel expressa vel
tacita & præsumta voluntate uti fit in *præscriptione*. Ex-
pressa voluntate constituitur, vel pure vel non pure h. e.
ex die in diem, alternis annis, mensibus, sub conditione.
l. 4. l. 54. ff. de usufruct. l. 12. C. eod. l. 15. 16. ff. quibus
mod. usufructus amitt. atque iterum vel *ultima vo-*
luntate. ita ut hæredi proprietatem, tertio usum fru-
ctum vel vice versa hæredi usum fructum, tertio pro-
prietatem vel neque proprietatem, neque usum fru-
ctum hæredi, sed uni tertio proprietatem, alteri usum
fructum leget *§. 1. h. vel inter vivos*. Ubi *promissio*
constitutio & acquisitio consideranda. Promissio fit
Vbi pro-
missio.
pactis & stipulationibus. §. 1. h. Per pacta Jure Civili
intelliguntur legitima, & contractus, uti donatio, ven-
ditio, *l. 3. prin. in fin. l. 37. ff. de usufructu. l. 38. §. 11. C.*
12. ff. de V. O. Moribus hodiernis etiam nudo pacto
usufructus efficaciter promittitur. Constitutio, vel
Constitu-
tio,
per veram vel per quasi traditionem vel per id, quod tra-
ditioni

ditioni equipollet. Vera traditio fit si in re mobili
ususfructus constituitur, eam tradendo usufructua-
rio, cum animo usumfructum constituendi. *arg.*
l. 7. prin. ibi. Aut rei mobilis l. 15. §. 3. ff. de usu-
fruct. Quasi traditio peragitur inductione infun-
dum, vel ædes, aliamve rem immobilem usufru-
ctuariam. *l. 3. init. in verb. induxerit. in fundum*
ff. h. Patientia demum, vel si quis patitur, ut alter
re sua utatur fruatur, æquipollet traditioni. *arg. l. II.*
§. 1. ff. de publ. in rem actio. l. 15. §. 1. ff. de seruit.
Acquisitio fit aut rei traditæ acceptatione. Aut in-
gressu in rem immobilem usufructariam, imo etiam Et acquisi-
tio confi-
deranda.
rei usufructariæ usu *arg. l. ult. ff. de seruit.* Ex taci- Ex tacita
vel præ-
sumta do-
mini vo-
luntate ac-
quiritur u-
sus fructus
præscripti-
one.
tâ vel præsumtâ domini voluntate acquiritur usufru-
ctus, *præscriptio*: in vero domino, si is re sua inter
præsentis per decem inter absentes per viginti annos
uti frui patiatur modo præscribens hoc non faciat vi
vel clam vel precario: in non domino, si præscribens ab
eo rem ex justo titulo & fide accepit, eaque inter præ-
sentes per decem, inter absentes per 20. annos uta-
tur fruatur. *l. fin. C. de long. temp. præscript. junct. l. II.*
§. 1. ff. de publ. in rem act.

XXXV.

Paragraphus secundus hujus tituli est bimembris.
In priori de rebus in quibus ususfructus constituitur, in §. 2.
posteriori de quasi usufructu agitur. Res autem, in qui-
bus ususfructus constituitur, debent esse 1. Alienæ *Ini-*
tio h. in verbis: Est jus alienis rebus. Nam res propria
nemini servit. 2. Corporales *init. h. in verb. Est autem* Res in qui-
bus verus
ususfructus
constitui-
tur,
jus in corpore. Quia rei incorporalis servitus non
datur 3. Debent fructum & utilitatem asserre, alias
F

Res in qui-
bus quasi
usufructus
constitui-
tur.

Modus co-
stituenti
quasi usum
fructum.

usufructus in utilis esset, quod absurdum dictu *init.*
h. Utendi fruendi. Nec 4. Usu consumi: *Init. in verb.*
Salva rei substantia. §. 2. in verb. exceptis iis, quæ ipso
usu consumuntur h. Quæ enim usu consumuntur, ne-
que naturali ratione, neque civili recipiunt usumfru-
ctum: Tales autem sunt fundus, ædes, servi, jumenta
& cæteræ res mobiles & immobiles, quæ usu non ex-
tinguuntur. Verum in rebus, quarum usus in abusu
consistit, & quæ usu consumuntur, non verus sed quasi
usufructus constituitur. Quo in numero sunt vinum,
oleum, vestimenta. Verum hic potius videndum,
quid actum sit, utrum eadem vestes restituendæ, an
aliæ similes. Sin prius, verus, sin posterius quasi usuf-
ructus constituitur. *l. 15. §. 4. ff. h. l. 4. §. penult. ff.*
usufructuar. quemad. cav. jung. Brunn. ad l. 15. §. 4. ff.
de usufruct. Quibus proxima est pecunia numerata.
Namque ipso usu assidua permutatione quodammo-
do extinguitur, quia non manet penes utentem, sed
utendo semper transfertur in alium. Nomina etiam
recipiunt quasi usumfructum *l. 3. ff. de usufr. ear. rer.*
Præter res Imperator addit modum constituendi qua-
si usumfructum ejusque effectum & modos finiendi.
Initio cum quasi usufructus per Senatusconsultum
introduceretur, sola voluntate ultima poterat relinqui:
Leges enim tantum legati mentionem faciunt. *l. 1. §.*
tot. tit. de usufruct. ear. rer. l. 69. ff. ad L. Falcid.
nost. §. Hodie tamen DD. volunt etiam actu inter-
vivos & promissione facta (subsecuta traditione, posse
constitui. Modo utroque casu quasi fructuarius
satisdet h. e. fidejussoribus vel etiam hodiè pignoribus
caveat, idem genere, vel ejus æstimationem, se resti-
tuturum

tuturum esse. §. h. in verb. *satisdet de tantâ pecuniâ resti-
tuendâ* & in verb. *sed estimatis bis satisdatur. l. 2 l. 4. ff.
de usufr. ear. rer.* Cautio tamen remitti potest. arg. l. 5.
§. 1. ff. de usufruct. ear. rer. adeoque non est de essentia
quasi usufructus. Effectus in eo consistit, ut res fiant Effectus
quasi usufructuarii, isque earum consequatur domi-
nium. §. h. in verb. *ut ejus fiant l. 7. de usufruct. ear. rer.*
Nec obstat quod res propria nemini seruiat. Hoc
enim est intelligendum, de rebus, quæ tempore con-
stituti quasi usufructus, jam tum nostræ sunt, non
de iis, quæ demum hujus constitutione nostræ fiunt.
vid. Hahn. ad tit. ff. de usufruct. ear. rerum n. 4. Modus Modus fini-
finiendi est duplex *mors* quasi usufructuarii naturalis. niendi.
Nam est jus personale, quod una cum persona extin-
guitur, ac *civilis*. hoc est, *maxima & media capitis de-*
minutio. §. h. in verb. *si moriatur aut capite minuitur.*

XXXVI.

Ne autem proprietates in universum inutiles es- §. 3.
sent, placuit certis modis extinguere usumfructum & ad
proprietatem reverti. §. 1. in fine h. Et 1. quidem fini- Modi fini-
tur usufructus morte usufructuarii naturali. Nam ejus endi verum
respectu est jus personale, quod una, cum ipsius persona usumfru-
extinguitur, respectu vero ejus, qui usumfructum pro- ctum sunt.
mittit est jus reale ita ut ejus hæredes tam diu usum- Mors na-
fructum præstare teneantur, quamdiu usufructua- turalis.
rius vivit. l. 4. §. 1. C. h. nisi simul hæredibus usufu-
ctuarii concedatur, tum videtur quasi subesse duplex
usufructus, alter usufructuario, alter ejus hæredibus
concessus. l. final. C. h. Usufructus civitati concessus,
non durat ultra centum annos, quia is finis vitæ lon-
gævi

Civilis h.
c. maxima
& media
capitis de-
minutione.

Consolida-
tio.

Rei fructu-
ariz inte-
ritus.

gævi hominis est *l. 56. in fine ff. h. 2.* Extinguitur
ususfructus, morte civili, h. e. maxima & media ca-
pitis deminutione usufructarii. 3. Finiendi modus est
non usus, vel quando quis re usufructuaria planè
non utitur per tempus lege definitum, hoc est, si est
res mobilis, per triennium, si immobilis inter præsen-
tes per decem, inter absentes per viginti annos. *arg. l. penult. §. 1. in fin. C. de usufruct.* vel non utendo secun-
dum modum in constituendo præscriptum. *l. 10. §. 1. h. l. 18. ff. Quemadmodum servit. amit.* Quartus mo-
dus est consolidatio. Hoc fit, si vel usufructuarius jus
suum domino proprietatis cedat, vel ex contrario, si
usufructuarius proprietatem rei à domino acquirat.
Non vero ususfructus quatenus est jus personale ex-
traneo cedi potest. *§. h. in verb. cedendo extraneo. l. 66. ff. de Jure dotium.* Nam in hæret illud ossibus quasi
usufructuarii, & ab eo separari nequit. Exercitium
vero ususfructus & jus perceptionis, quod in utendo
& fruendo, & ita quasi extra personam usufructuarii
subsistit aliisq; jus reale appellatur, extraneo cedi, inq;
alium transferri potest. *§. 1. Instit. de usu. l. 12. §. 2. l. 67. ff. de usufruct.* Morte tamen usufructarii extingui-
tur, quod soluto jure dantis, solvatur jus accipientis.
l. 31. ff. de pignor. 5. finitur ususfructus *rei fructuariæ*
interitu v. gr. si ædes incendio consumptæ fuerint,
vel etiam terræ motu vel vitio suo corruerint, ita, ut
ne aræ quidem ususfructus debeat. Non enim
in aræ sed in ædibus ususfructus constitutus erat.
§. ult. Ususfructus vero uno horum modorum finitus totus
ad proprietatem revertitur, & ex eo tempore nudæ
proprietatis dominus incipit plenam in re habere po-
testatem.

XXXVII. Usus

XXXVII.

Ufus est *jus alienis rebus utendi ad suam suorumq;* sustentationem salva rerum substantiâ. Personæ eadem possunt usum concedere, quæ usumfructum, & iisdem personis, quibus usufructus, etiam usus conceditur, quin & in iisdem rebus in quibus usufructus, usus potest constitui. Modi etiam tum constituendi, tum finiendi usufructus & usus sunt iisdem, nisi quod usufructus pro parte constitui & amitti possit, usus non item *l. 5. ff. de usufr. l. 19. ff. h. t.* Differt usus ab usufructu. Quod minus juris sit in illo, quam in usufructu: nam is, qui fundi nudum habet usum, nihil ulterius habere intelligitur quam, ut oleribus, pomis, floribus, stramentis & lignis, ad usum quotidianum utatur, inque eo fundo ei morari liceat, ut neque domino fundi molestus sit, neque iis, per quos opera rustica fiunt, impedimento: non tamen alteri jus, quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest, cum is, qui usumfructum habet, possit hæc omnia facere. *vid. l. 10. §. ult. l. 11. l. 12. §. 1. ff. h.* Ita qui ædium usum habet, ipse in habitare potest, & hospitem recipere, imo cum uxore, liberis, item libertis, nec non personis aliis liberis, quibus non minus, quam servis utitur, habitandi jus habet: & convenienter, si ad mulierem usus ædium pertinet, cum marito ei habitare licet, quin & hospitem recipere potest, modo is sit, qui cum eâ honestè sit habitaturus. *l. 2. 3. 4. 5. 6. 7.* Non vero hoc jus, uti iste, qui usumfructum ædium habet, ad alium transferre potest. Item is, ad quem usus servi, hodie lasi pertinet, ipse tantum opera & ministerio ejus uti potest, ad alium

F 3

vero

Tit. v.
De Usu &
Habitatione.
Init.
Convenientia ususfructus & usus.

§. 1.
Differentia.

§. 2.

§. 3.

vero nullo modo jus suum transferre concessum est, quod tamen usufructuario permissum. Idem juris est in jumento, & equorum usu, nisi aurigæ horum usus relictus, & constituens scit eum esse hujus instituti & vitæ, tum enim de usu locationis sensisse videtur *l. 12. §. 4. ff. b.* nam in universum quoties usus relictus absque locatione plane vanus ac inutilis est, toties illa in praxi videtur simul permissa. Philipp. *lib. 2. ê clog. 30. n. 6. 7. Et seqq.* Ita etiam minus juris est, in pecorum vel ovium usu legato. Ejusmodi enim legatarius ad sterco- randum agrum suum pecoribus solum uti potest, non vero lacte, nisi modico. *l. 12. §. 2. ff. b.* nec agnis nec lanâ, quia ea in fructu sunt: cum tamen ad fructuarium omnium harum rerum usus pertineat.

XXXIIX.

§. 5.
Quid sit
habitatio.

Quomodo
differat ab
usu.

Habitatio est *servitus personalis consistens in jure habitandi in alienis ædibus, salva earum substantiâ.* Tria autem in hoc paragrapho de habitatione proferuntur: primum est, (1) quod sit proprium aliquod jus, hoc est, peculiaris quædam servitus personalis ab usu & usufructu planè distincta. (2) quod habitatio non tantum legari id est ultimâ voluntate relinqui, verum etiam alio modo atque actu inter vivos, pactionibus & stipulationibus constitui possit, & (3) ut non solum in eâ degere, sed etiam aliis locare permissum sit, in quo differt habitatio, ab usu ædium: ab usufructu vero, quod non possit eam donare alteri. *l. 10. init. b.* easque solum in habitare, non vero in iis pecora alere, vel habitatione ad fructus recondendos uti liceat. vid. præjudic. à Dn. Hahn. *in observat. ad Wesenbec. h. tit. ff. in fin.*

fin. adductum verbis. Daß Hansen Peters Wittib nicht
weiter den zur Wohnung / nicht aber zu haltung Viehes /
wie auch einerndung und einbringung Futters in die
Scheuren berechniget sey. Ab utroq; tam usu, quam usu- Ab utroq;
fructu differt, quod servitus habitationis per non
usum non amittatur, *l. 10. ff. h.* Quia maxima ex par-
te habitatio in facto consistit & hujus servitutis dies
toties cedit, quoties legatario commodum est, licet
antea non habitaverit. Cum usu & usufructu hoc
commune habet, ut ad hæredem non transeat *l. 10.*
init. h. Expositis summatim modis acquirendi juris §. 6.
gentium, Imperator transit admodos acquirendi
juris civilis & primum exorditur ab usucapionibus &
longi temporis præscriptionibus.

XXXIX.

Usucapio & præscriptio est modus acquirendi Tit. VI.
juris civilis. *init. h. in verb. jure civili constitutum.* De Usuca-
propter solennitates & requisita, quæ ex jure civili pionibus &
habet: non tamen juri naturali contrarius. Cum usu- longi tem-
capi bono publico sit introducta, ne scilicet quarun poris præ-
dam rerum diu & fere semper incerta dominia essent scriptioni-
init. h. l. 1. ff. eod. & finis litibus imponeretur. *l. 5. init.* bus.
ff. Pro suo Et domini ad diligentio rem rerum suarum init.
curam excitarentur. Nam negligentes domini puni- Fundamē-
untur in usucapionibus & præscriptionibus rerum tum usuca-
suarum amissione. *arg. l. 16. ff. Ex quib. caus. mai.* Vi- pionis &
dentur etiam domini res suas pro derelicto habere si præscripti-
per tempus lege definitum quod dominis ad res suas onis.
inquirendas sufficit. *nostr. init.* eas à possessoribus non
repetant, adeoque usucapio & præscriptio invitis do-
minis res non aufert, sed ex lapsu temporis ejusmodi
conje-



conjectura rei pro derelicto habendæ oritur. Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 4. §. 5. in fin. 6. & 8.* Idque etiam Hugo Grotius ad ipsa regna & imperia dicto capite extendit. Alias enim uti loquitur *contro-versiæ de regnis regnorumq; finibus nullo unquam tempore extinguerentur: quod non tantum ad perturbandos multorum animos, & bella ferenda pertinet, sed & communi gentium sensui repugnat. dict. cap. §. 1. in fin.* jung. Conring. lumen hujus Academiae magnum *in tractat. de Finib. Imper. cap. XIX. p. m. 360.* Et quidem quoad imperia hoc præcipue de præscriptione immemoriali est intelligendum.

XL.

Antiquæ
usucapio-
nis & præ-
scriptionis
differentiæ

Iure vero
novo Vsu-
capio &
præscriptio
longi tem-
poris ex æ-
quata,
ab ea
differt
longissimi
& imme-
morialis ac
centenaria
præscri-
ptio.

Jure antiquo Usucapio & præscriptio differebant *rebus, tempore & Effectu. Rebus.* Nam solum res mobiles & immobiles Italici soli usucapiebantur: res vero immobiles extra Italium sitæ præscribebantur. *Tempore.* Ad usucapionem enim rerum mobilium, annus; immobilium biennium sufficiebat: cum ad præscriptionem inter præsentem decem; inter absentes viginti anni requirerentur. *Effectu* per Usucapionem acquirebatur dominium: per præscriptionem tantum exceptio. Verum Justinianus Imperator differentias inter Usucapionem & præscriptionem longi temporis sustulit, easque inter se exæquavit. *init. h. l. unic. C. de Usucap. transform.* ab hac adhuc diversa est longissimi temporis & immemorialis præscriptio. Illa ad minimum lapsum triginta annorum, hæc tantum temporis spatium, cujus initii memoria non extat, requirens: cui posteriori etiam in jure centenaria præscriptio comparatur. Cum centum anni soleant esse finis longævi hominis. *l. 56. in fin. ff. de Usufr. l. 23. C. de Sacro-*



de Sacrosanct. Eccles. Hug. Grot. dict. cap. §. 7. Et sic illud tempus pro civiliter infinito ac immemoriali habetur. Præscriptione autem triginta annorum, res vitiosæ, uti sunt furtivæ absque titulo: immemoriali, immunitates, minora & majora regalia acquiruntur. Verum hoc titulo non de immemoriali nec triginta annorum, sed solum de longi temporis præscriptione agitur. De quâ etiam nos in posterum solum agemus.

XLI.

Usucapio & per consequens hodie longi temporis præscriptio describitur, quod sit *adjectio domini* Quid sit usucapio. *per continuationem possessionis temporis lege definiti* l. 2. ff. de usurpat. & usucap. Per adjectionem domini intelligitur modus acquirendi domini: Ex reliquis descriptionis verbis ex parte de sumi possunt requisita ad Usucapionem & præscriptionem longi temporis necessaria, & sunt numero quinque. Bona-fides, justus titulus, Res non vitiosa, Possessio, & possessionis per tempus lege definitum continuatio. Ad bonam fidem duo requiruntur, (1) ut quis rem accipiat à non domino, (2) ut credat dominum eum esse. *init. b.* Nam si scit eum esse non dominum, & sciens rem alienam accepit, in malâ fide constituitur. *vid. §. 35. Inst. de Rer. divis.* Tria autem tempora in Præscriptione & usucapione considerantur & quo tempore in usucapione requiratur. initium; medium, & finis. Videndum itaque est, an omni tempore ad usucapionem bona fides sit necessaria. Et quidem *Jure civili* sufficit, si initio præscriptionis illa adsit. *l. unic. C. de usuc. transform.* nisi quod in venditione rei alienæ tam tempore contractus initi,

G quam

Quid sit ju-
stus titulus.

quam traditionis bona fides requiratur. *l. 2. init. ff. pro Emt.* Jure verò Canonico quod hodierna praxis sequitur, lomni omnino tempore bona fides est necessaria. *cap. fin. extr. de præscript.* Quæ tamen præsumitur, cum quilibet bonus præsumatur, donec probetur contrarium. *cap. fin. extr. de præsumt.* Per *Titulum* intelligitur causa, ob quam res traditur. Ea autem est duplex domini translativa aut non: prior est causa donationis, venditionis, legati, nam per ejusmodi causam & titulum dominium rei donatæ, venditæ & legatæ in donatarium, emtorem & legatarium transfertur. Posterioris vero generis causa est, titulus commodati, conducti: Nam per ejusmodi causas non dominium sed usus solum vel gratis vel pro mercede ad tempus in alium transfertur. In præscriptionis materia requiritur titulus & causa domini translativa, & illa demum justa dicitur. *init. h. in verb. emerit vel ex donatione.* Error autem falsæ causæ usu capionem non parit veluti si quis cum non emerit, quasi ex emtione, vel cum ei donatum non fuerit, quasi ex donatione possidet. *§. 6. b.* Falsa enim existimatio rei veritatem non mutat. *l. 6 ff. ad Munic.* Justus tamen & probabilis error excusatur. *l. 13. §. 1. ff. pro Emt. l. ult. §. ult. pro Suo.*

§. 6. h.
Num error
tituli usu
capiorem
pariat.

XLII.

§. 1. & 5.
Quænam
res possint
usu capi nec
re.

In rebus requiritur, ut in se non habeant vitium & acquiri possint *§. 5. b.* Quæcunque igitur res non possunt acquiri & in se vitium habent, non possunt usucapi, nec præscribi, atque tales sunt (1) res in commercio privatorum non existentes, uti liber homo, res sacra, religiosa, (2) servus fugitivus, hodie eo

die eo referre possumus lassumfugitivum, nam sui
ipsius furtum quasi facit. *l. 60. ff. de furt.* (3) Res fur- *§. Furti-*
tivæ *§. 2. h.* non à fure tum propter malam fidem, *væ 2.*
tum propter crimen furti; nec à tertio licet bonæ fidei
possessore, & quidem ob solum furti vitium, quod rei
adhæret, & in quemvis possessorem unâ cum re ipsâ
transit. In rebus autem mobilibus, quia plerumque
vitio furti sunt affectæ, non facile procedit usucapio.
Nam qui solum sciens rem alienam vendit, velex alia
causa tradit, furtum ejus committit. Sed tamen id
aliquando aliter se habet: nam si hæres rem defun-
cto commodatam, aut locatam, vel apud eum depo-
sitam, existimans hæreditariam esse bona fide acci-
pienti vendat, aut donet, aut dotis nomine tradat, quin
is, qui acceperit, usucapere possit, dubium non est;
quippe cum ea res infurti vitium non ceciderit: cum
utique hæres, qui bonâ fide tanquam suam aliena-
verit, furtum non committat. Aliis quoque modis
accidere potest ut quis sine vitio furti, rem alienam
mobilem ad aliquem transferat, & efficiat, ut à pos-
sessore usucapiatur. *l. 36. §. 2. seqq. ff. de Usurpat. &*
usucap. (4) Res immobilis vi possessa *§. 2. h.* neque
enim à possessore violento, tum propter malam fidem
tum propter crimen violentiæ, nec à tertio bonæ fidei
possessore propter solum violentiæ vitium rei cohæ-
rens præscribi potest. Si quis tamen sciens rei alie-
næ immobilis possessionem sine vi ingreditur, eam-
que rem bonâ fide accipienti tradit, ejusmodi res
præscribi potest. Nam non est vi possessa nec fur-
tiva, rei enim immobilis furtum non committitur.
§. 2. in fin. h. adeoque omni vitio caret. Ex quo au- *§. aliqua-*
tem *do, 3.*

Quomodo
res furtiva
vel vi pos-
sessa à vitio
furti vel
violentiæ
putgetur.

tem tempore res à vitio furti vel violentiæ purgan-
tur, earum usucapio procedit. Quod tum fieri dici-
tur, si in domini potestatem ita fuerint reversæ, ut juste
avelli non possint, vel etiam dominus rerum æsti-
mationem haud invitus receperit vel voluerit, ut suo
nomine tertio traderentur. *l. 4. §. 12. 13. & 14. ff. h.*

XLIII.

§. Res fisci
4.

(5) Res Fisci: non enim sunt in commercio pri-
vatorum. Per Fiscum intelligitur arca communis
constans ex pecunia vel aliâ quapiam re ad usum
publicum, vel dignitatem regentium conservandam
destinata. (6) Bona vacantia, modo fisco fuerint
nunciata, hoc est administratores fisci cognoverint,
ejusmodi bona extare, nam à primo scientiæ momen-
to fisco cedunt. *l. 1. de jur. fisc. l. 1. C. de bon. vac.* Ve-
rum ante nuntiationem à bonæ fidei possessore usu-
capiuntur, quia nondum jus fisco quæ situm est. Di-
cuntur autem bona vacantia; bona eorum, qui abs-
que hæredibus fuerunt mortui. Dantur plures res
usucapi prohibitæ, uti civitatis, Ecclesiæ, aliorumque
piorum locorum *l. 13, C. de SS. Eccles.* res pupillorum,
minorum *l. 3. C. quib. non obst. long. temp. præscr.* Ve-
rum nostrum institutum non fert, ut de hisce rebus
pluribus agamus.

Quia sunt
bona va-
cantia.

XLIV.

Quænam
possessio ad
usucapio-
nem requi-
ratur.

Quartum Usucapionis & Præscriptionis requisi-
tum est *possessio §. 5. 6 & 7. h.* cum autem vocabulum
possessionis tripliciter sumatur, vel denotet nudam
rei detentionem, quam habent, qui alieno nomine
possident, uti est commodatarius, depositarius, in-
quilinus, & dicuntur alias esse tantum in possessio-
ne vel

ne vel barbare tenutam habere. §. 5. *instit. de interd.*
Vel aliquis rem tenet cum animo domini, & hæc
possessio *civilis* appelletur, qualem habent Emtores &
donatarii: vel quis quidem possidet non quidem ani-
mo domini sed ex alio jure v. g. pignoris, usus
fructus, & illa possessio *naturalis* dicitur: Ad usuca-
pionem & præscriptionem possessio *civilis*, quæ cum
animo domini juncta est, quod usucapione acquiritur,
omnino est necessaria *arg. init. h. l. 2. ff. de usurp. &
usucap.*

XLV.

Quinto & ultimo requiritur. *Continuatio possessio-*
nis & quidem per tempus lege definitum. Continuatur
vero possessio vel in unâ vel in pluribus personis. Hoc
posterius fit, si vel usucapiens ante finitam usucapio-
nem decedat, vel vivus rem usucapi cæptam alienet. *§. Diutina*
Si prius, & usucapiens mortuus in bona fide extitit, *7.*
illius possessio prodest hæredi, licet ipse sciat præ-
dium alienum esse: sin vero defunctus fuit in malâ fide, *Quomodo*
adeoq; usucapio initium justum non habuit, hæredi li- *possessio*
cet ignorantem rem alienam esse, possessio defuncti non *continue-*
prodest. Nam hæres non tantum in virtutes sed etiam *tur.*
vitia defuncti, quod usucapionem attinet, succedit.
l. 11. ff. de divers. & tempor. præscr. l. 11. C. de Acquir.
poss. Quod si vero rem usucapi cæptam alteri legaverit,
vel vendiderit, tempora iterum conjunguntur, & pos-
sessio auctoris, à quo rem accepit, prodest successori,
modo in utroque ad sit bona fides. *l. 13. §. 1. & ult. ff. de*
acquir. vel amitt. poss. Ea enim in altero cessante, suc-
cessor accessione auctoris uti nequit. *l. 5. ff. de divers.*
& temp. præscript. Quia est successor singularis, qui

Quodnam
tempus ad
præscripti-
onem re-
quiratur.
Jure civili.
&
Saxonico.

Effectus u-
sucapionis.

§. Edicto
D. Marc.
ult.

non habetur pro unâ eademque persona cum suo
autore, nec eum repræsentat, quemadmodum hæres
defunctum. Ad possessionis continuationem porro
requiritur, ut fiat per tempus lege definitum, quod
in rebus mobilibus est *triennium*; in immobilibus inter
præsentem tempus *decem*, inter absentes *viginti anno-
rum. init. h.* Sufficit autem postremum anni diem
coeptum esse, etsi completus nondum sit. *l. 6. 7. ff. h.*
Absens autem dicitur, qui non in eadem provinciâ:
l. fin. C. de long. temp. præscript. & hodie, qui non in
eodem territorio, vel etiam, si hoc amplum sit, non
in eadem Præfectura domicilium habet. Gebh. *de præ-
script. c. 3. n. 6.* Quod si dominus rei aliquot annis
præsens; aliquot absens fuerit, anni absentiae adjiciendi
sunt. *auth. quod si quis. C. de long. temp. præscript. Novell.
119. c. 8.* Jure Saxonico rerum mobilium præscri-
ptio est annalis, *Jahr und Tag*/ id est, ein Jahr und
sechs Wochen Weichbild *art. 21. & Gloss. in Weichbild
art. 4.* Res verò immobiles & in corporales tam inter
præsentem quam absentes, præscribuntur triginta an-
nis cum augmento Saxonico, *eth und dreissig Jahr/
sechs Wochen/ drey Tage. Landr. art. 29. lib. 1. ibiq;
Gloss. Carpzov. in J. F. part. 2. const. 7. def. 3. & 5.
Richter decis. 21. n. 54. & seqq.* Effectus usucapionis
est dominium, quod præscribens finita usucapione,
in re præscriptâ consequitur, ita ut, quodcunq; jus do-
mino in re propriâ, idem præscribenti in re usucaptâ
competat.

XLVI.

Quando olim res aliena vendebatur à fisco, & post
venditio-

venditionem quinquennium præterierat, dominus rei
 exceptione repellatur *l. ult. C. si advers. fisc.* Jure ve-
 ro novo, qui à fisco rem ex justo titulo hoc est domi-
 nii translato accipiunt, statim fiunt securi, & victo-
 res existunt, sive ipsi agant, sive ab aliis conveniantur.
 Domini vero rerum intra quadriennium contra fiscum
 agere possunt, non quidem ad ipsas res, sed earum præ-
 tium recuperandum, quadriennio vero elapso, ne qui-
 dem contra fiscum actionem habent §. *h. l. 2. C. de qua-*
drien. præscript. Et hoc etiam in finalibus verbis §. nostri
 extenditur ad eos qui aliquid ab Imperatore ejusque
 Augusta emunt, idque ideo est constitutum ut res
 fiscales citius emtores reperiant, & ne munificentia
 Principis retractetur. Verum hoc moribus nostris
 non observari vult Perezus *ad Cod. tit. de quadrien.*
præscript. n. 4. Videtur tamen rectius sentire Brunne-
 mannus *ad d. l. 2.* Dicens, se talibus testimoniis Docto-
 rum potissimum extra locum, in quo vixerunt, non
 multum tribuere.

Rem aliã
 nanã fisco
 emens o-
 lim post
 quadriennium.
 Jure novo
 statim ad-
 versus do-
 minum se-
 curus est.

XLVII.

Secundus modus, acquirendi civilis est *Donatio* Tit. De Do-
 propter solennitates, quas à jure civili superadditas nationibus,
 habet. Quatenus enim donatio est fundata in libera- VII.
 litate, benevolentia & amicitia honesta, ad jus etiam init.
 naturale & gentium referenda est. Describitur dona- Donatio-
 tio *per actum, quo res in alterum nullo jure cogente, ex- nis funda-*
liberalitate confertur. l. 1. l. 29. ff. de Donat. Estque mentum.
vel mortis causa vel inter vivos. Aut enim fit cogita- De scriptio
 tione mortis, & non prius, quam post mortem dona- Divisio,
 toris, effectum habet *l. 32. ff. de mort. c. d.* & dicitur
mortis causa donatio: die Ubergabe auff den todes Fall.
 Aut



Donatio
mortis cau-
sa legatis
compara-
tur.

Personæ.

Res.

Modus.

Aut statim post perfectam donationem vires habet, nec fit intuitu mortis & appellatur *donatio inter vivos* die *Übergabe unter den Lebendigen*. De donatione mortis causâ ordinem Imperatoris secuti, prius agemus. Ubi loco principii notandum, quod illa ad exemplum legatorum redacta sit, ita, ut per omnia fere legatis connumeretur §. *h. l. 15. l. 57. init. ff. d. m. c. d.* Inde fluit, quæcunq; personæ legare possunt, vel testamenti facti- onem activam habent, quod illæ etiam mortis causa donare queant. Excipitur filiusfamilias, qui non potest facere testamentum, nec voluntate patris, tamen mortis causâ donare, patre permittente, potest. *l. 35. §. 1. ff. de M. C. D.* Inde porro & hoc colligitur, quod cum quibus sit testamenti factio & quibus legari, iis- dem etiam mortis causâ donari possit. §. *24. Inst. de legat. l. 9. ff. de m. c. d.* Porrò quæcunq; res legari: illæ etiam mortis causa donari possint, quales sunt, quæ in commercio donatarii existunt, & ex quibus utilitas in donatarium redundare potest.

XLIX.

In modo requiruntur tria (1) ut tam donator, quam donatarius sint præsentis & donatarius donati- onem factam acceptet. *l. 38. ff. b.* & in eo differt à legato, quod præsentiam legatarii non requirit, sed legata ab- sentibus & ignorantibus relinquuntur, (2) ut adhibe- antur ad minimum quinq; testes. *l. ult. C. de don. mort. caus.* Nam donatio mortis causâ ultimæ voluntati comparatur, in qua ad minimum quinq; testes sunt necessarii *l. ult. C. de Codicill.* Richter *decis. 21. n. 30.* nisi donatio fiat judicialiter, vel in loco iudicii, vel in ædibus donatoris coram personis publicis ex iudicio specialiter ad id vocatis & missis, eaque actis insinue- tur.

tur. Tumenim nullis testibus est opus. Fides hic enim adest publica & monumenta publica sufficiunt. *arg. l. 19. C. de testam. l. 31. C. de donat.* nisi etiam sint donationes privilegiatae, ubi duo testes sufficiunt, videlicet tempore pestis, ad pias causas, inter liberos factae. *Carpzov. in J. F. p. 3. c. 1. def. 33. Richter. decis. 28. num. 25. & seqq.* (3) requiritur, ut fiat cogitatione mortalitatis, sive nullo praesentis periculi metu conterritus, sive imminente periculo commotus. *l. 2. ff. h.* Non prius autem effectum sortitur, quam si mors donantis insequatur. *l. 32. ff. de mort. caus. don.* quia magis se vult habere donator quam eum, cui donat, magisque eum, cui donat, quam haeredem suum. *§. h. in fin. l. 2. l. 35 §. 2. ff. eod.* Finitur donatio mortis causa. (1) si donatio imminente mortis periculo facta, donantis *Convalescentia* & liberatione ex periculo, in quo tempore donationis constituebatur. *Modi finiendi.* (2) *morte donatarii* ante donantem contingente. (3) nuda donantis *poenitentia*. *§. h. l. 30. ff. eod.* & in hoc iterum legatis comparatur. Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitae supremum exitum. *l. 4. ff. de adim. & transfer. legat.* Poenitentia autem est, vel expressa, vel tacita & praesumpta, quando nimirum inimicitiae capitales inter donantem & donatarium exoriuntur. *arg. l. 3. §. 10. ff. de adim. legat.* Vel si ex facto contrario revocatio donationis appareat. Quod accidit, quando donator rem donatam voluntarie postea alienaverit. *l. 22. l. 32. §. 5. ff. de donat. inter vir. & uxor.* puta rem alteri legando, vendendo, donando.

§. 2.
Donatio
inter vivos
absoluta.

Donatio *inter vivos* vel est *absoluta*, de qua h. §. vel *relata*, de qua in sequenti agitur. *Absoluta*, nullam plane similitudinem habet cum legatis per *init. h. §. verba* ubi melius pro *non omnino*: omnino non ponitur: ideoque hæc donatio semel perfecta, temere revocari non potest. Tria autem de ista in hoc §. proponuntur. (1) modus donationis perficiendæ. (2) effectus donationis perfectæ (3) modi eam revocandi. Quod primum attinet. Notandum hic est instar principii, quòd ad exemplum venditionis donatio se habeat. Inde, quemadmodum emtio venditio solo consensu, ita etiam donatio sola voluntatis manifestatione perficitur & quidem à parte *donantis*, requiritur ut possit, & velit rem suam gratis in donatarium transferre. Diximus, ut possit, non nulli enim, licet velint, tamen non possunt donare, ita patres liberis in patria potestate existentibus, nisi ob remunerationem, vel morte donatio confirmetur, efficaciter nihil donant, quia pro una eademque persona habentur. *l. 11. C. de Don. Carpzov. in J. F. p. 2. Constit. 12. def. 22 & 23.* Matri vero hoc est permisum, quia liberos in potestate non habet. A parte vero *donatarii* necesse est ut is sciat sibi donationem factam esse, eamque acceptet. *l. 10. l. 19. §. 2. ff. de don. Nolenti enim liberalitas acquiri non potest. Perinde vero est, si fiat in scriptis aut sine scriptis si præfenti si absenti, nam per epistolam, & per interpositam personam donari potest: modo quis nomine absentis donationem factam acceptet. l. 4. 10. ff. de donat. l. 6. C. eod. nisi forsan donatio excedat quingentos solidos,*
nam

Modus per
ficiendæ
donationis,

infra quin-
gentos so-
lidos.

Eosque ex-
cedentis.

nam tum, quoad summam excedentem non aliter subsistit, quam si actus fuerit insinuata, §. h. l. pen. §. ult. de donat. ne virtus liberalitatis, quæ per donationem exercetur, in prodigalitatem de generet. Hoc igitur, modo nimis effusæ donationes refrænandæ & multis fraudibus occurrendum fuit, idque etiam obtinet, licet donatio consanguineis & conjunctis fuerit facta: quia si non major, tamen par subest ratio. l. 27. C. h. & Brunneinan. *ibi*.

L.
Duo autem hic explicanda veniunt, primum est, quid denotetur per verbum *Aureos*: alterum, coram quo iudice insinuatio facienda. Quod igitur vocabulum *Aureos* attinet. Multi doctores per illud verbum intelligunt aureos Hungaricos Ducaten. Carpzov. in J. F. p. 2. C. 12. def. 12. Brunneinan. ad l. 34. C. de donat. Alii vero solidum pro aureo Rhenano Goldgülden accipiunt. Dn. Hahn. ad paratitl. Wesenbec. h. n. 6. Verum valor & consuetudo cujusque loci diligenter hic observanda est. Andr. Gail. 2. obser. v. 39. num. 1. & seqq. Carpzov. d. def. 12. num. 5. & seqq. Insinuationem vero Doctores communiter volunt, coram quovis iudice fieri posse. quod donatio refertur ad actus voluntariæ jurisdictionis Gail. libr. 2. obser. v. 39. in fin. Quia tamen lex. 32. C. h. competentem iudicem requirere videtur: tutius erit si coram ordinario & competente donatoris magistratu civilem modo jurisdictionem habente fiat Hahn. ad tit. ff. de donat. num. 6. ad verb. Est autem hæc insinuatio. Excipiuntur nonnullæ donationes, quæ insinuatione non opus habent, licet excedant quingentos solidos. §. h. in verb.

Quid veniat nomine solidorum

Coram quo Magistratu debeat fieri insinuatio.

Quænam donationes insinuatione non opus habent



quæ penitus insinuationem fieri minime desiderant, sed in se plenissimam habent firmitatem. Uti sunt quas (1) Imperator, & in nostro Imperio Principes & status Imperia faciunt. Magnificencia enim est virtus talibus personis conveniens. Et quæ vice versa ipsis fiunt Principibus *l. 34. pr. C. de Sacros. Eccles. Novell. 52. c. 2. auth. itemq; C. b. t.* (2) quæ militibus à militum magistris fiunt. *l. 36. §. 1. l. 44. pr. junct. d. auth. itemq; C. b.* (3) quæ fiunt pro redemptione captivorum, pro reparatione ædium incendio vel ruinâ consumptarum. Non vero ad alias licet pias causas hoc est extendendum. *l. pen. pr. §. 1. §. 2. C. b.*

LI.

Effectus do-
nationis.

Effectus factæ donationis consistit in necessitate traditionis. Nam licet res donatæ non statim tradantur; donationes tamen plenissimum & perfectissimum robur habent, & traditionis necessitas donatori incumbit *§. h.* Quemadmodum in Emtione venditione venditor ad rem venditam emtori tradendam præcise est obstrictus. Et si donator rem donatam tradere nolit, uti venditor actione emti: ita donator, conditione ex lege ad rem donatario tradendam cogi potest. *Novell. 162. cap. 1. §. 1. in fin.* Traditione demum facta donatarius rei donatæ dominium consequitur. *arg. §. 40. Instit. de R. V. l. 20. C. de pact.* atque adeo, uti in venditione ita & in donatione traditio demum operatur perfectionem secundam & consummationem. Differt ab Emtione venditione. (1) quod hæc sit contractus consensualis. Donatio pactum legitimum. (2) In illa evictio, in hæc ista non fit

Nonnullæ
donationis
& venditio-
nis diffe-
rentiæ.

fit præstanda *l. 18. §. 3. ff. h.* (3) Res vendita in solidum
fit tradenda. Non vero semper res donata. Quod si
enim donator post factam donationem ad incitas re-
digatur, habet beneficium competentiae, & necessa-
ria vitae alimenta inde potest detrahere. *§. 38.*
infr. de act. Revocantur demum donationes, vel ex
parte, vel *in totum*. Ex parte, si fuerint *in officiosæ*
hoc est, personæ, quibus legitima debetur, uti sunt li-
beri, in suâ legitimâ lædantur. Nam quoad illam læ-
sionem non subsistunt sed revocantur. *arg. tot. tit. C.*
de in offic. donat. In totum revocantur. (1) *Super-ve-*
nientia liberorum. si nempe postea donatori, sive sit pa-
tronus, sive alius quidam, qui tempore donationis
nullos habebat, liberi fuerint nati. *l. si unquam 8. C. de*
re voc. donat. Hahn. *ad verb. Si quis liberos. ff. h.* Myn-
sing. *cent. 5. obs. 63.* Non enim verisimile est, illum
donaturum fuisse, si de propriis liberis cogitasset. (2)
ingratitude donatarii & quidem insigni §. h. in fin. l.
ult. C. de revoc. donat. modo à vivo donatore revocatio
fiat. Morte enim donantis expirat, quia est actioni
injuriarum similis, & donans eam remisisse videtur.
Richter. *decis. 22. num. 12.* Præterea ex causis in *l. fin.*
C. de revoc. donat. expressis solum fieri potest. Quod
si dubium adsit, utrum donatio inter vivos, an mortis
causa facta fuerit, inter vivos potius donatum cense-
tur. Richter. *d. decis. 22. n. 8. & seqq.* licet executio
donationis, in mortem donationis differatur adeoque
in verbis executivis mentio mortis fiat. *l. Seia 42. §. 1.*
in fin. ff. de m. c. d.

Modi re-
vocandæ
donationis

LII.

Donatio relata est, quæ fit vel refertur ad causam §. 3.

H 3

præte-

præteritam, uti est donatio remuneratoria. *l. 27. ff. de donat. vel ad præsentem & futuram & ejus generis est, donatio ante vel propter nuptias* daß gegen vermächtnis. *S. h.* Eaque jure antiquo ante nuptias constituebatur, ac tacitam in se conditionem habebat, ut tunc rata esset, cum matrimonium esset insecutum. Justinianus verò Imperator in hoc dotibus eam æquavit, ut ista non solum matrimonium antecedit, sed eo etiam contracto, quemadmodum dos, initium accipere & augeri possit. inde etiam donatio propter nuptias dicta. Hæc autem fit à marito, vel ejus nomine ab alio uxori in vicem dotis, ita tamen, ut uxor ex re donatâ fructum non percipiat, sed jus tantum habeat. *l. 19. & 20. C. de donat. ante nupt.* Persona donationem propter nuptias constituens, est maritus, vel tertius, qui nomine mariti hoc facit. *d. l. 19. C. de donat. propter nupt.* Cui constituitur est uxor. In iisdem porro rebus, in quibus dos hæc donatio potest constitui. Ad modum pertinet, quod in vicem & securitatem dotis constituatur *Auth. Dos datâ C. de donat. ante nupt.* Ubi itaque nulla est dos ibi etiam nulla adest donatio propter nuptias. Et jure civili eadem quantitas in dote & donatione propter nuptias est necessaria. *l. 9. cum authent. æqualitas. C. de pact. tam sup. dot.* Hodiernis moribus ex generali quâdam omnium ferè locorum consuetudine hæc æqualitas non observatur. *Gail. libr. 2. obser. v. 78. num. 2.* Sed liberum est marito donationem propter nuptias in majori quantitate constituere. Effectus in eo consistunt, ut ad maritum quidem fructus rei propter nuptias donatæ pertineant, uxori tamen dominium directum

Quid sit
donatio
propter
nuptias.
Personæ.

Res.

Modus.

Effectus.

directum in istâ re habeat, inde, si maritus eam alienat, à quovis possessore vindicare potest *arg. nost. §. l. 20. Et auth. Permissa. C. h.* Et præterea jus hypothecæ habet. *l. 19. C. h.* Matrimonio soluto, quemadmodum dos ad uxorem ita donatio propter nuptias ad maritum revertitur. *l. 30. ff. solut. matrim. l. 18. de don. propt. nupt. cap. donatio. §. sane soluto extr. de don. inter. vir. & uxor.* Nisi pactum expressum, vel statutum, aut consuetudo aliud suadeat. *Carpzov. in J.F. part. 2. c. 42. def. 1. num. 8. Brunnem. ad l. 18 C. de donat. ante nup.* Ex patagrapho hujus tituli ultimo hoc unicum observandum, quod propter favorem libertatis multa in jure contra communes regulas sint constituta.

Modus e-
am dissol-
vendi.

§. 4.

LIII.

Ad transferendum rei dominium duæ personæ Tit. IIX. requiruntur, *alienans* de quâ in hoc titulo: & *acquireos* de qua in sequenti IX. agitur. Primum alienantem personam considerabimus. Quicumque igitur sunt domini, & liberam de rebus suis disponendi potestatem habent; vel licet non sint domini, tamen alienandi potestatem habent vel ab homine vel à lege: illi alienare possunt. Contra quicumque non sunt domini, vel licet sint, tamen liberam de rebus disponendi potestatem non habent neque à lege neque ab homine facultatem alienandi sunt consecuti; illi alienare nequeunt. Talis est maritus, quamvis enim fundi dotalis dominus existat, *in verb. init. h. quamvis ipsius sit.* tamen liberam de eo disponendi potestatem non habet, nam lex Julia illum alienare prohibet. Ubi duo se explicanda offerunt, primum est verbum *alienare*: alterum

Quibus a-
lienare li-
cet vel non
licet,

init.
Quinam a-
lienare vel
non pos-
sunt.

Maritus re-
gulariter
fundū do-
talem alie-
nare ne-
quit.



Quid sit alienatio.

Quid fundus dotalis

Res mobiles dotales alienari possunt.

Et certo easu fundi dotalis alienatio permissa est.

alterum quid denotetur per *fundum dotalem*. Alienatio est *omnis actus quo jus in re transfertur. l. 1. C. de fund. dot. l. fin. C. de reb. alien. non alien.* Ita maritus non potest dominium fundi dotalis in alium transferre, nec servitutum ei imponere, nec servitutum illi debitam amittere. *l. 5. ff. de fund. dot.* nec eum oppignorare vel hypothecæ supponere, ita ut ne quidem jure novo, licet olim permissum fuerit, consentientibus mulieribus id procedat, ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ earum convertatur. *init. h in fin.* Per *fundum vero dotalem* intelligitur omnis res immobilis in dotem data: non vero hoc extendendum est, uti nonnulli perperam volunt, ad res mobiles, quæ servando servari possunt: tum quod lex Julia saltem de fundo & prædio dotali loquitur: tum per. *l. fin. C. de ser. v. pign. dat. l. 3. §. 3. in fin. ff. de su. & legit. hered. l. 21. ff. de manumission.* Omnes igitur res mobiles in dotem datas maritus alienare potest. *vid. l. 42. ff. de jur. dot.* Hactenus porrò dicta de fundo dotali non solum promisso sed verè dato intelligenda sunt *nostr. §. in verb. dotis causa datum.* Imo etiam non tantum de rustico verum etiam urbano accipiuntur: ad omne enim ædificium lex Julia pertinet. *l. 13. init. ff. de fund. dot.* Et præterea voluntaria, non verò necessaria alienatio est prohibita, modo huic posteriori ipse maritus nullam occasionem dederit. *l. 1. ff. de fund. dot. l. 2. C. eod.* Permissa tamen est marito fundi dotalis alienatio si æstimato in dotem datus fuerit, modo uxori electio non reservetur, soluto matrimonio, vel fundum dotalem ipsum, vel ejus æstimationem repetendi. Absque hac enim electione reservatâ fundus æstima-

æstimato in dotem datus marito quasi venditus videtur, ita ut, quemadmodum periculum interitus, & deteriorationis ad eum pertinet, istum alienare possit. *l. 10. init. ff. de jur. dot. l. 21. C. eod.* Anton. Fabr. *in Cod. libr. 5. tit. 7. def. 43.* Carpzov. *in J. F. part. 2. const. 42. def. pen.* Et semper in dubio præsumendum est, hoc sine factam esse æstimationem rerum in dotem datarum, ut fieret venditio. Brunneman. *ad l. 10. ff. de jur. dot. n. 2.*

LIV.

Contra nonnullæ personæ, licet non sint domini, tamen res alienare possunt, uti sunt creditores, qui ex voluntate debitorum pignora alienare intelliguntur, nam ab initio contractus videntur pacti esse, ut creditoribus liceret, si pecunia non solveretur, pignora vendere. *§. 1. h.* Et hoc casu vel expressum pactum inter creditorem & debitorem initum, ut, si debitor stato tempore pecuniam non solvat, pignus creditori justo pretio vel in chirographo expresso, vel arbitrio viri boni determinando sit venditum. *l. 24. pr. ff. de pignor. act.* Vel creditor extraneo illud vendere possit. *nostr. §. idque diligenter servandum est.* Aut vero nulla adest conventio, de pignore distrahendo. Et tum requiritur (1) ut debitor in mora constituitur. Idque fit vel per interpellationem testatò interpositam, hoc est coram duobus testibus, ut eò facilius probari possit, à creditore factam esse, eaq; sufficit unâ vice fieri, si de distrahendo pignore nihil sit dictum, vel si apertè conventum sit, ne pignus distraheretur, trinis vicibus, interposito semper ad minimum decem dierum intervallo facienda est, *l. 4. ff. de pignor. act.*

§. contra autem i. Creditores pignora distrahere possunt.

Si debitor res sunt morosi.

Modo distractio pignorum legitime fiat.

I
Vel



Vel fit mora, elapso die solutioni præfixo. Tempus enim interpellat pro homine. *arg. l. 12. C. de contrah. stipul. l. 9. princ. ff. de usur.* (2) requiritur, ut alienatio bonâ fide fiat, hoc est, pignus justo pretio distrahatur. *arg. l. 14. de pignorat. act. l. 3. C. si vend. pign. agat.* Et (3) interpellatione factâ, duo adhuc anni expectentur, antequam ad venditionem pignoris perveniantur. *l. fin. C. de jur. dom. impetrand.* Verum quia hoc cum maximo creditorum incommodo conjunctum est, hodie rarius ita proceditur, sed pignora judicis autoritate juxta modum, qui alias in judiciali pignore observatur, distrahi solent, eaque elapsis sex mensibus, post interpellationem factam, publice subhastâ venduntur, & plus licitanti addicuntur. vid. Perez. *in Cod. tit. de distract. pignor. n. ult.* Carpzov. *in J. F. p. 1. c. 28. d. 136. & 137.* Dn. Struv. *ad tit. ff. de distract. pignor. thes. 47.* Mores tamen & constitutiones singulorum locorum hic diligenter consulendæ.

LV.

§. Nunc admonendi. 2.

Pupilli non possunt dare rem mutuo,

Pupilli, licet sint domini, quia tamen propter infirmum judicium liberam de rebus suis disponendi potestatem non habent, nullam rem sine tutoris autoritate alienare possunt. Idque tribus propositis casibus Imperator in hoc paragrafo ostendit. Quorum primus est, quod pupillus sine tutoris autoritate pecuniam alteri mutuo dare non possit: pecuniam enim non facit accipientis: ideoque vindicari possunt nummi, sicubi extant. Nummis vero consumptis, videndum est, utrum accipiens bonâ, an verò malâ fide consumserit; priori casu, ex consumptione nummorum bonâ fide factâ oritur mutuum & condictio

dictio certi, sive actio ex mutuo descendens. §. 2. *h. l. 19.*
§. 1. *ff. de Reb. cred.* Posteriori verò casu consumens
mala fide nummos pro possessore habetur. *l. 131. l. 150.*
ff. de Reg. Jur. adeoque adversus ipsum ad exhiben-
dum agi potest. Res vero pupillo & pupillæ sine tu-
toris autoritate rectè dantur: nam possunt conditio-
nem suam sine tutoris autoritate facere meliorem non
vero deteriolem. *init. Instit. de autor. tutor.* Secun-
dus casus est de solutione pupillo & minori facta: *nost.*
§. *in verb. Ideoq; si debitor pupillo solvat.* Illa autem
fit, vel absque tutoris & curatoris autoritate & con-
sensu, vel eorum autoritate & consensu inter veniente,
vel demum ipsa accedente judiciali sententia. Primo
casu, si pupillus pecuniam salvam habet, aut ex eâ fit
locupletior; potest quidem eandem pecuniæ sum-
mam petere, tamen per exceptionem doli mali re-
movetur. Quod si malè consumserit aut furto aut vi
amiserit, debitor licet exceptionem doli mali oppo-
nat, nihilominus condemnabitur: quia temerè sine
tutoris autoritate, & non secundum dispositionem le-
gum solvit. *l. 15. l. 47. l. 66. ff. de solut. l. 4. §. 4. de dol.*
except. l. 14. ff. de Condict. indeb. l. 57. ff. de Reg. Jur. Se-
cundo casu, si debitor tutoris autoritate solvit, libe-
ratur. *l. 46. §. 5. ff. de adm. tut.* Parata tamen pupillo
& minori est restitutio, si ea pecunia in utilitatem mi-
noris non est versa, *d. l. 46. §. 5. ff. de administrat. tut.*
Tertio casu si debitor, judiciali sententia & consensu
accedente solvit: plenissima sequitur securitas. *l. 25.*
C. de Administrat. tut. Non enim debet, quod ritè & se-
cundum leges ab initio actum est, ex alio eventu resusci-
tari. Reditus vero annui, pensiones ac usuræ, absque

Nec ipsi
solvi po-
test.

nisi tutoris
autoritate
accedente.

Et judicia-
li senten-
tia.



Nec solve-
re efficaci-
ter possunt

judicis consensu secure solvuntur, quia in his alimen-
ta pupilli consistunt, modo non ultra biennium debe-
antur nec excedant centum solidos: in his enim judi-
ciali autoritate opus est. *l. 26. §. 1. 27. C. de Admini-
strat. tut.* Ex diverso pupilli vel pupillæ sine tutoris
autoritate solvere non possunt. Solutio enim est alie-
natio; nullius autem rei alienatio eis sine tutoris auto-
ritate concessa est: adeoque id, quod solvunt, non fit
accipientis. *l. 9. §. 12. ff. de autor. tut. l. pen. ff. de reb,
cred. nisi nummi soluti fuerint consumti, tum liberatio
pupillo contingit & solutio valet l. 9. §. 4. ff. de autor.
tut. l. 19. §. 1. ff. de reb. cred.*

LVI.

Tit. IX.

Per quas
personas
cuique ac-
quiritur.
init.

§. I.

Feculium
profectiti-
um,

Adventiti-
um ordina-
rium.

Haftenus de persona alienante nunc ad personas
acquirentes progrediendum. Acquiritur verò nobis
aliquid vel per nosmet ipsos vel per alios: hi sunt vel
personæ liberæ, uti procuratores de quibus *§. 5. b.*
vel quos in potestate habemus, aut patria uti sunt fi-
lii & filiae familias: *§. 1. §. 2. b.* vel dominica & sunt
fervi, iiq̄ue vel veri, vel putativi, qui nobis bona fide
serviunt; veri vel proprii vel alieni, in quibus usum
fructum habemus. *§. 3. §. 4. b.* Primum à liberis in
potestate existentibus exordiamur. Quicquid igitur
his ex re patris obvenit, quod *peculium profectitium* di-
citur, totum parenti acquiritur. Æquum enim est,
quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum
reverti. *nost. §. b.* Quæ vero aliunde filius familias ac-
quisivit, quod *peculium adventitium* dicitur, hujus
usumfructum patri quidem acquirit: dominium au-
tem apud eum remanet, ne quod ei prospera fortuna
acceserit, hoc in alium perveniens, luctuosum ei pro-
cedat. *in verb. fin. nost. §. nisi ad sit peculium adventi-
tium*

tium extraordinarum, in quo proprietatem & usum
fructum filiusfamilias consequitur, & nihil patri ac- ^{Extraordi-}
quiritur. *l. ult. §. 1. C. de bon. quæ lib. auth. excipi-* ^{narium.}
tur, cum duabus seqq. C. eod. tit. Demum, quæ ^{Castrense,}
occasione militiæ, quod *Castrense. l. 11. ff. de Castrens.*
pec. Aut ex liberalium artium Professione, puta ex
Sacerdotio, Professione, Assessura, Advocatia & aliis
officiis *l. 2. C. de Assess. l. 4. C. de Advoc. divers. judic.* ^{Quasi ca-}
Quod *quasi Castrense* peculium appellatur. *§. fin. Instit.* ^{strense.}
de testam. milit. liberi acquisiverunt: in illis pater nul-
lum jus nec usumfructum habet, tam de jure civili.
nostr. §. quam de jure Saxonico. Gloss. ordinar. in Land-
recht. libr. 1. art. 20. in verb. gtebt der ander. Quia in
his bonis filiusfamil. vice Patrisfamilias fungitur. *l. 1.*
§. ult. l. 2. ff. ad Sct. Maced. l. ult. C. de in offic. testam.
Et Romani voluerunt hoc modo incendere juventu-
tem ad pacis & belli artes eo diligentius colendas. vid.
Magnif. Dn. Eichel. *in eleganti tractatu ad Regul. Jur.*
cap. V. thes. 12. & 13. Præterea in præmium & quasi ^{§. 2.}
pro pretio emancipationis patres olim proprietatem ^{Parentes in}
intertiâ bonorum parte ad liberos emancipatos perti- ^{præmium}
nentium consequebantur. Verum Imperatori in hu- ^{Emancipa-}
manum hoc visum fuit, ergo loco domini usumfru- ^{tionis}
ctum in dimidia bonorum parte parentibus conces- ^{usumfru-}
sit. Quod tamen moribus hodie vix obtinet. ^{ctum pro}
Schultz. Syn. Inst. ad h. tit. lit. D. Satis de personis in patriâ ^{dimidia}
potestate existentibus, & quid patribus per eas acqui- ^{parte in e-}
ratur. ^{mancipato-}
^{rum bonis}
^{jure civili}
^{consequun-}
^{tur.}

LVII.

Personæ in potestate dominicâ existentes hoc est ^{§. 3.}
servi omnia acquirunt suis dominis, quia sunt quasi
instrumenta dominorum, & nihil suum habere pos-
sunt.



Servi omnia dominis acquirunt.

sunt. §. hic. Inde quicquid servi ex traditione nanciscuntur, sive stipulentur, sive ex donatione vel ex legato, velex qualibet alia causa acquirunt. Hoc dominis etiam ignorantibus obvenit. Idem de proprietate, possessione, usucapione vel longi temporis possessione dicendum est, quod hæc omnia per servos dominis acquirantur. Excipitur hæreditas, quam servus non nisi jussu domini adire potest: eaque non aliter ac dominis jubentibus acquiritur, propter metum læsionis & latentis æris alieni, nec servus dominum obligare potest, neque ignorantis domini conditionem reddere deteriore. Quod vero servos fructuarios, & , quos bonâ fide possidemus, latinet, quicquid illi ex re nostrâ & ex operis suis acquirunt, id nobis adjiciendum est, sive sit proprietas, sive possessio. Quod vero extra eas causas, uti si hæredes instituantur, consecuti sunt, id ad dominos proprietatis, vel ipsos servos, si sunt solum putativi & liberi homines, pertinet. Fructuarius vero dominus servum fructuarium usucapere non potest. Primum quia non possidet civiliter. *per nostr. §. sed tantum naturaliter. l. 12. ff. de acquir. poss.* deinde quia scit, servum alienum esse, adeoque in malâ fide constituitur.

§. 4. Quod paulo aliter se habet in servis fructuariis, & qui bonâ fide servant.

LIIX.

Ufus hodiernus paragraphi quarti.

Quod dictum fuit de iis, qui bona fide nobis serviunt: hoc non incommode ad hodiernos famulos & liberos homines, qui non quidem gratis, sed pro certâ mercede operas præstant, applicari potest, quicquid enim ex operis suis acquirunt, id nobis acquiritur *per text. §. 4.* Quamvis autem ad operas elocandas, quia sunt homines liberi, cogi regulariter non possint. *arg. l. in vitos 11. C. de donat.* Quod si tamen


men subditi pro certâ mercede operas suas aliis' elocare soleant, eandemque mercedem dominus solvere velit; hic extraneo, si ab isto non jam præventus fuit, saltem pietatis & reverentiæ intuitu præfertur. vid. late hâc de re Carpzov. in *J. F. part. 2. Const. 51. def. 9. & libr. 1. respons. 58. & 59.* adeo ut si subditi hoc recusent, domino damnum inde emergens refarcire teneantur. Richter. *decis. 98. num. 44.* Carpzov. *libr. 6. respons. 59. num. 3. & 4.* Inde porro eliciunt Doctores, rusticos seu parochianos obstrictos esse operas suas primum Ecclesiæ ministris ad culturam agrorum suorum elocare, nec hisce nondum confitis, aliorum culturam in se suscipere. Cum parochiani ad eandem reverentiam matri Ecclesiæ, quâ subditi domino & Magistratui obstricti sint. Carpzov. in *Jurispr. Consist. def. 398. num. 9. & seqq.* Richter. *decis. 98. num. 45.* Per liberum autem hominem & per extraneam personam regulariter nobis nihil acquiritur. Quicquid enim sunt, sunt sui ipsius gratia, & per consequens, quicquid acquirunt, non aliis sed sibi acquirunt. vid. §. 18. *infr. de inutil. stipul. II. ff. de Obl. & act.* Modi enim acquirendi videntur ideo inventi esse, ut unusquisque sibi, quod sua interest, non verò aliis acquirat. Excepto procuratore, qui sponte se ad id obligavit, & per eum non solum scientibus sed & ignorantibus nobis possessio, & dominium, si tradens dominus fuerit, vel, si non est dominus, usucapio aut longi temporis præscriptio acquiritur. *per final. verb. nost. §. Deo ter optimo maximo*
immortales persolvuntur gratiæ.

F I N I S.

§. 5.







99 A 69 73


ULB Halle 3
002 840 960



Vd 77

Rehner





Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

7

6

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

QUINTA
INSTITUTIONUM
EXERCITATIO

DE
VITUTIBUS
CAPTIONIBUS ET
DONATIONIBUS.

Q V A M

INA ANNUENTE GRATIA

PRÆSIDE

ISSIMO AMPLISSIMO ATQVE
CONSULTISSIMO VIRO

BORGIO ENGELBRECHTO

ac Digest. in Acad. Julia Profefs.
Publ. Ordin.

ore, Patrono Præceptore ac Hospite
æternum devenerando

co eruditorum disquisitioni submittet

IN JULEO MAJORI

Septemb. Anni MDCC LXXXI.

G DIDERICH HALBPAPPE
Hildesienfis.

de(o)so

HELMESTADII,

mHENRICI DAVIDIS MÜLLERI Acad. Typ.